
O·J
INTER·FOLIA·FRVCTVS

SCHEDAE HISTORICAE

QUIBUS

DE REBUS PTOLEMAEORUM

AGITUR.

SCRIPSIT

ET AUCTORITATE A. ORDINIS PHILOSOPHORUM
PRO LOCO PROFESSORIS EXTRAORDINARII
IN EODEM RITE OBTINENDO

D. XIV MAII A. MDCCCXXI H. X.

IN

AUDITORIO SOCIETATIS TEUTONICAE REGIAE

PUBLICE DEFENDET

CAROL. GUILIELM. AUGUST. DRUMANN

PHIL. D. ET HIST. PROF. PUBL. EXTRAORD. DESIGN.

RESPONDENTE

KAUFMANNO LEHRS

REGIOMONTANO

OPPONENTIBUS

CAROL. AUG. FERDIN. SEIDEL

GEDANENSI

ET

GUILIELM. CHRIST. LUDOV. CASTELL

REGIOMONTANO.

REGIOMONTI,

TYPIS ACADEMICIS HARTUNGIANIS.

§. 1.

Quod saec. XVII. virum eruditissimum scripsisse invenimus: „in intimas Antiquitatum Ptolemaeorum tenebras me immisi, et operam dedi, ut illi historiae et chronologiae parti, quae in difficillimis habetur ab omnibus, afferrem lucem,"[1]) auctori etiam hodie in hunc campum descendenti ob magnas, in quas incurrit difficultates, profiteri licet. Nam rebus aegyptiis Serioris aevi nostris etiam temporibus tenebrae obductae sunt, quas unquam plane remotum iri, ob praesidiorum inopiam, quantum video, desperandum est.[2]) Cum igitur rei difficilioris quam gratioris periculum faciam, id cum excusatione me admittere velim, ut minus audacter quam veritatis studio adductus admittere videar. Alliciunt quasi et laborem incitant vel ipsa nomina, quae a veteribus regiae Ptolemaeorum imposita sunt. Alexandriam enim non solum ob eximias opes auream,[3]) sed etiam tanquam sedem eorum omnium,

1) Humfred. Hodius contra Historiam Aristeae (Aristaei) diss. Oxon. 1685.

2) Champollion Annales des Lagides, 2 Vol. Paris 1819 cum nondum ad manus sint, quid lucis ex hoc opere rei affulgeat, equidem non satis scio; sed ne ipsis quidem viris doctis Francogallorum satis probatum esse videtur, cum complura, nimis audacter coniectura collecta, in dubium vocaverit I. Saint Martin in opere, quod inscripsit: Nouvelles recherches sur l'époque de la mort d'Alexandre et sur la chronologie des Ptolemées.

3) Athen. Deipn. 1. p. 20. ed. Casaub.

quae urbem ornare possint, pulchram,[4]) vel κατ' ἐξοχὴν Πολιν,[5]) et τοπον[6]) dictam, imo una cum Epheso instar cuiusvis magnae urbis commemoratam esse,[7]) accipimus, ut laudes mittam, quibus ob magnitudinem et ob numerum incolarum Achillem Tatium Alexandriam affecisse constat.[8])

§. 2.

De anno natali urbis nec inter veteres nec inter auctores recentioris aevi convenit. Fundanos et Formianos eodem tempore in civitatem a Romanis receptos esse referens, hariolatur Velleius Paterculus.[9]) Nec cum Eusebio[10]) faciemus, vel cum Cyrillo,[11]) qui anno VII. regni Alexandri M. urbem conditam esse censent. (Ol. CXII. 3.) Quinto potius, quod universa regis historia evincit, condita est, licet Diodorus Siculus dissentiat[12]) quem Freretus[13]) et auctor Examinis critici, qui hac in re in sententiam Frereti pedibus discedit[14]) merito erroris arguunt. Philippum enim Ol. CXI. 1. interfectum esse, Diodorus cum enarraverit, tamen ad Ol. CXI. 2. ita rationem computat, quasi nunc demum patri successerit Alexander, quo factum est, ut de tempore Alexandriae conditae disserens, Olympiadi CXII. 2. daret,

---

4) Id. 1. p. 3. 15. p 673.
5) Eustath. ad Iliad. β.
cfr. Ios. Scalig. ad Euseb. Chron. No. 1972. p. 158.
6) III Maccab. c. 3. v. 12.
7) Senec. epist. 102.
8) de Clitoph. et Leucipp. amor. l. 5. c. 1.
cfr. L. C. Valckenaer diatrib. de Aristobul. Iudaeo ed. J. Luzac. §. 18. extr.
9) Hist. 1, 14.
10) Chron. l. 2. No. 1687.
11) adv. Iulian. L. 1. p. 13. ed. Spanhem.
12) 17. 52.
13) Remarques sur le can. astron. Mem. de l'Acad. d. Inscript. T. 27 p. 150
14) Examen critique d. anc. hist. d'Alex. le Gr. Par. 1804.

quod Ol. CXII. 1. tribuendum erat.[15]) Quamvis Alexandro, Tyrum oppugnanti, urbem, libertatem pertinaciter retinentem, aemula commercii opprimere iam in votis fuerit, consilium urbis Alexandriae condendae non nisi in ipsa Aegypto iniit. Qui litoris septentrionalis Aegypti indolem in castris, dum totus erat in bellis gerendis, Macedo ita exploratam habere potuit, ut urbi locum XII. millia passuum ab ostio canopico distantem voluerit occupare?[16]) Si sententia arridet Arriani,[17]) cui Curtius adsentit,[18]) res in dubium vocari non potest.

§. 3.

Virginem, cui nomen Macedoniae indiderit, ad urbem quasi consecrandam, ab Alexandro immolatam esse, temere finxerunt;[19]) moribus, quales tunc erant, Macedonum repugnat; Carthaginiensium magis et Etruscorum redolet saevitiam; a regis etiam, ut ita dicam, syncretismo politico plane absonum est. At quod fines urbis, creta deficiente, polenta, mox ab avibus innumeris devorata, circumscripserunt, quod quidem fatale prodigium, quid sibi vellet, Aristander, vates telmissensis, explicavit, aut Alexander, aut Dinocrates, architectus, superstitioni dedisse videtur,[20]) non Macedonum, quibus id patrium et usitatum fuit,[21]) sed Graecorum et Barba-

15) 16, 91. 17, 2. 52.
16) Plin. H. N. 5, 10.
17) 3, 1.
18) 4, 8.
19) Ioann. Malala. Hist. Chron. l. 8. p. 244.
20) Arrian. 3, 1.
Strabo 17, p. 792.
Plin. H. N. 7. 37. extr.
Val. Max. 1. 4. externa.
Amm. Marcell. 22, 16.
21) Curt. 4, 8.

rorum. Sed vatum praesagiis ipsa incepti ratio ac disciplina longe praestantior fuit: ipsi enim, quo urbs exstruenda erat, locus,[22]) Tyrus in angustias adducta, populi a rege in ditionem redacti vel redigendi et omnis generis commercio miscendi magna rei bene gerendae et lucri ex mercatura faciendi quam plurimi praesida.

§. 4.

In facie ac figura urbis exponenda veteres, hac in re linguae inopia colluctantes, valde sudaverunt, nec quae compluribus recentioris aevi auctoribus visa sunt, nobis satis sana probantur. Desiderat enim lucem illud Plinii: metatus est eam Dinochares (Dinocrates) — ad effigiem macedonicae chlamydis, orbe gyrato laciniosam, dextera laevaque anguloso procursu;[23]) quae fere totidem verbis apud Plutarchum leguntur.[24]) Quae cum ob figuram chlamydis macedonicae nullo loco satis delineatam obscurius dicta sint, valde opportune illud Strabonis se offert, quo *το σχημα της γης της οἰκουμενης χλαμυδοειδες* esse dicit, — *ἐκ του τα ἀκρα μυουριζειν τα του μηκους ἑκατερωθεν, κλυζομενα δ' ἀπο της θαλαττης, και ἀφαιρειν του πλατους,*[25]) rem ita igitur expediens, ut extrema orbis terrarum, paralellogrammo intellecto, ab utraque parte mari coarctari, eoque latitudinem minui doceat; efficere studet, ut extrema paralelli non habeantur. Quod si ad Alexandriam animum advertimus, latitudine orientem et occidentem versus decrescente, media urbs latissima fuit. Sententia

22) cfr. F. S. de Schmidt opusc. diss. IV. p. 134. seqq.
23) H. N 5, 10.
24) vit. Alex. 26.
cfr. Diod. sic. 17, 52.
et Bonamy descript. de la ville d'Alex. p. 647.
25) 2. p. 118 et 119. cfr., 17, p. 793.

auctorum, urbem XXX[26]) vel XC[27]) stadia in longitudinem, VII vel VIII[28]) vel X[29]) in latitudinem patuisse, enarrantium, idem evincere videtur: nam in numeris diversis non solum nihil est, quod nos moretur, sed ab ipsa figura Alexandriae, mediam urbem versus crescente, discrepantia proficiscitur.

§. 5.

Ptolemaeos stirpis aegyptiae non fuisse, vel nummi, in facie eorum nihil aegyptii referentes, produnt,[30]) et tanta fuit Philippi atque Alexandri gloria rerumque mutatio, ut, cum reges macedonici gestirent Graeci, Argivi salutari, et Alexander, Amyntae filius, δοκιμασίαν in Olympiis libentissime subiret,[31]) Ptolemaeus contra quidam, bigis victor in Pythiis, se Macedonis nomine inscribi, facile passus sit: „ἔχαιρον γὰρ δὴ Μακεδόνες οἱ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενοι βασιλεῖς, καθάπερ γε ἦσαν.[32]) Statuam quoque, Ptolemaei Lagi donarium, prope templum Iovis Olympii in Elide, regemque in inscriptione Macedonem vocatum se invenisse Pausanias refert.[33]) Nec poetae regiae defuerunt iactantiae.[34]) Non macedonicae solum sed regiae stirpis Ptolemaei fuerunt. Ptolemaeum enim Σωτῆρα Philippus, pater Alexandri M. ex Arsinoe, licet eam Lago, Macedoni, obscuro loco nato, gravidam locaverit, filium spurium procreavit.[35]) Regem autem, Lagidarum

26) Strabo 17, p. 793.
Ioseph. de bell. Iud. 2, 16.
27) Diod. sic. 17. 52.
28) Strabo l. c.
29) Ioseph l. c.
30) I. Vaillant. Hist. Ptolem. Amstel. 1701.
31) Herod 5, 22. cfr. 8, 137. 138. 9, 45.
32) Pausan 10, 7.
33) 6, 3.
34) Callimach. Hymn. in Del. v. 165—168.
35) Pausan 1, 6.
cfr. Heyn. in Appollodor. 2. c. 8. §. 5.

primum, ortum regium cum deprecaretur, errore lapsum, aut, quod verisimilius, nothi nomen pertaesum plura argunnt. Ut enim Curtium mittamus, eum Alexandrum sanguine attigisse docentem[36]) quin Ptolemaeus, scriptorum auctor et fautor artium insignis, graecis literis, quibus in Macedonia non nisi in aula regia institui potuit, imbutus fuerit, vix dubitare licet. Lagus autem, cum nec inter nobiles esset neo inter regis, quos dicebant, amicos, quî fieri potuerit, ut Ptolemaeo aditus ad aulam pateret, nisi Pausaniam recte narrasse sentiamus, non intelligitur. Quo accedit, et Ptolemai, Philippo superstite, magna esset in aula auctoritas. Nam cum Philippus Olympiaden, in cuius partes Alexander transierat, repudiaret, Ptolemaeus, regii filii alacer satelles, extorris factus est.[37]) Philippo mortuo Ptolemaeus non epularum solum ministerio praefuit (ἐδεατρος s. ἐλεατρος),[38]) munus honorificum, sed inter praefectos etiam custodiae regiae (Σωματοφυλακας) receptus est.[39]) Ptolemaeum ab Alexandro fortitudinis causa ex gregario milite ad maiorem dignitatem evectum esse, cum afferat, Trogum Pompeium errasse,[40]) ac Lucianum iocose tantum eum υπαςπιςην pro σωματοφυλακα dicere,[41]) vel ex eo colligitur, quod supra monitum est. Praefectorum custodiae regiae numerus semper exiguus et dum Alexander in India morabatur, septem solum haec provincia mandata fuit.[42])

---

36) 9, 8.
37) Arrian. 3, 6.
38) Athen. D. 4. p. 171.
39) Arrian. l. c.
40) Iustin 13, 4.
41) Dialog. Mort. 13, § 3.
42) Arrian. 6, 28.

§. 6.

Iosephum e ficto Aristaeo res fictas quam plurimas tradere, nemo infitias ibit. Ne autem de dignitatibus et moribus mentionem faciens falsa proferret, aequales obstiterunt. Magnam igitur Ptolemaeos cohortem aulicorum comitatam esse, cum enarret, hocce cum auctore facere non dubitamus. Amicos autem non dico ad rem publicam administrandam accedentes, de quibus infra monebo, sed qui apud Polybium οι περι την αὐλην vocantur.[43]) Ptolemaeos, animo hilari et laeto, quali Graecos fuisse constat, mores regum orientalium luxuriantes sectatos esse, argumento sunt. Quod nomen prodit, cives et peregrinos ad coenam invitare, vocatorum fuit;[44]) sed, quae erat bibliothecas instituendi regum cupiditas, codices etiam manuscriptos advenarum, praesertim in portibus, sub specie vocandi perscrutati esse videntur. Alia των ἐπι της των ξενων ἀποδοχης τεταγμενων ratio, peregrinis, quos Ptolemaeus commendatos sibi esse voluit, regis sumtibus victus suppeditantium; qua in re complures iis affuerunt ministri.[45]) Οἱ τȣς τοπȣς κατα την ἀξιαν διανεμοντας ordinis, quo convivae in coena regis discumberent, moderatores fuerunt.[46]) Omnis generis divitiis affluentes gemmis quoque asservandis ministros quosdam reges praefecerunt: Φυλακας των κιβωτων ἐν αἱς ἐτυγχανον λιθοι.[47]) Aulam regum, quibus omnia, literae etiam et literarum cultores, ioco et ludibrio fuerunt, quod Diodoro, Κρονῳ male audienti, fatale,[48]) Zoilo Homeromastici fraudi fuit,[49])

43) 18, 38.
44) Plin. H. N. 35, 36. §. 14.
45) Ioseph. Ant. Iud. 12, 2. §. 11.
46) Id. ibid. 12, 4. §. 9.
47) Id. ibid 12, 2. §. 4.
48) Diog. Laert. 2. segm. 111.
49) Vitruv. de archit. l. 7. praef. §. 8.

scurras quoque iuvisse, facile intelligitur. Sed non desunt, quae rem argumentis firment. De Tryphone enim, Iudaeos, tributorum mancipes saevissimos, merito notante, mentionem facit Iosephus: ὁς ἡν τȣ βασιλεως ἀθυρμα, και προς τα σκωμματα και τȣς ἐν τοις ποτοις γελωτας ἀνεδεδεκτο.[50]) Meretriciae artes et vafritia eunuchorum quantum in hac aula valuerint, hoc loco silentio praetereundum.

§. 7.

Permulta instituta Ptolemaei ab aulis macedonica et orientalibus mutuati sunt. Quam discerent vix dignam habuerunt linguam aegyptiam; graece loquentes cum aulicis vel macedonicam dedidicerunt.[1]) Inter Aegyptios autem indigenas, praesertim in Thebaide, lingua patria, dum Ptolemaei regnabant, nunquam plane abolevit, quod vel inscriptio prope Rosettam inventa et triplici charactere exarata evincit, τοις δε ἱεροις και ἐγχωριοις και ἑλληνικοις γραμμασιν;[2]) imo Cleopatra, reginarum Aegypti famosissima tot linguas edocta fuit, ut non cum peregrinis solum sed etiam cum iis, qui sub eius ditione erant, remoto interprete loqueretur.[3]) Regnum cum Sortiretur Ptolemaeus, quem το κρατος σȣ salutaverunt,[4]) ludos solemnes datos esse, e pompa Philadelphi colligere non licet, quamvis nonnullis[5]) ita

50) Ant. Iud. 12, 4. §. 9.
1) Plutarch. Anton. p. 927. ed. Francof.
cfr. F. Sturz. de dialecto macedon. et alexandr. lib. Lips. 1808.
2) v. 54.
cfr. Comment. soc. reg. Scient. Gotting. Vol. XV. et Inscript. perantiquam sacris Aegyptiorum etc. arte lithograph. domest. repetit. Monach. in Bavar. 1817 7 tab. fol.
3) Plutarch. l. c.
4) Epiphan. de mens. et pond. c. 9.
5) Athen. D. 5. p. 196.
Vaillant. Histor. Ptolem. p. 22.
Rollin. Hist. anc. T. 7. Art. 2. p. 255.

visum sit: at filio a rege suscepto solemnia natalitia a proceribus celebrata sunt, nam aut ipsi gratulabundi cum muneribus regem adierunt, aut fastus et largitionis aemuli, qui gratularentur et magnam vim pecuniae regi dono darent miserunt Alexandriam.[6]) Quod si haec orientem sapiunt, reges temporibus statutis, Alexandrinis, uti videtur, quinto quovis die, caeteris semel per mensem, copiam sui facientes, a more orientalium plane recesserunt,[7]) imo, qui artes coluerant, facetis praesertim moribus dictisque lepidis insignes, humilibus quoque parentibus nati aliisque addicti religionibus ad coenam vocati sunt.[8]) Orientali igitur fastu, superstitione aegyptia et iudaica atque hilaritate graeca in hac aula mixtis, novum parari rerum ordinem, cui libet suspicari in promtu erat. Quod Horatio, a Maecenate vocato, displicuisse videmus, Alexandriae accidit: Ptolemaei enim animum exhilare studuerunt, nec ipsos convivas lacerare turpe fuit. Id unum igitur agentes ut se oblectarent, reges, serioris praesertim aevi, et religionibus et literis atque artibus hunc in finem uti non dedignati sunt. In colloquia venientes cum viris doctis scurrili dicacitate vel eorum, qui auribus serviebant, blanditiis laetati sunt, aut, quod argutiis opponerent, in expedito non habentes deriserunt.[9]) Nec, ex superstitione aegrotantes, omnis generis nova audiendi, ut tempus fallerent, studiosi, et, quod libidinibus et metu debilibus accidere assolet, futura praesagiendi cupidi, coenantes ἱεροκήρυκας et θύτας respuerunt,[10]) nec ἐγγαστρομυ-

6) Ioseph. Ant. Iud. 12, 4. §. 7. 8. 9. cfr. Diod. sic. fragm. l. 33. (de virt et vit. 32.)
7) Ioseph. Ant. Iud. 12, 2. §. 10.
8) Id. ibid. §. 11.
9) Diog. Laert. 2. segm. 111.
10) Ioseph. Ant. Iud. 12, 2. §. 11.

θυς, οἰωνομαντεις ac τετρασκοπυς, quorum praestigiis stupor et admiratio omnium animos incessit.[11]) Imo vile etiam oblectationis adiumentum in hac aula musica fuit. Quod si „in Graecia,“ ut verba referam Ciceronis, „musici floruerunt, Epaminondas fidibus praeclare cecinisse dicitur, Themistoclesque, cum in epulis recusasset lyram, habitus est in doctior“[12]) Alexandriae contra mores ab honesto tam alieni fuerunt, ut non Philopator solum, „qui non iam spectator sed magister nequitiae nervorum oblectamenta modulabatur,“[13]) sed etiam alii, inprimis Αὐλητης iste, cui hoc nomen nota,[14]) histrionum et tibicinum laudes apud multitudinem acclamantem aemularentur. Auctorem stirpis Lagidarum si excipias, cui, quod Cyrenaicum Hegesiam de morte in scholis disputare interdixerit, ne vitio vertamus,[15]) mores in aula Ptolemaeorum ab initio in corruptelam delapsi, strenuae et quae in virum cadunt virtutes nihil pensi habitae sunt. Ab omni parte quidem Alexandriae insidiis atque illecebris mali virtus circumdata fuit:

Οὐ παντος ἀνδρος ἐς Κορινθον ἐσθ᾽ ὁ πλους.

Sed eo magis regum erat, castitate morum caeteris praestare. Ex quo velut contagione pestis mulieres etiam perditos mores induebant, omnis ad meliorem frugem redeundi in hac aula spes abiicienda erat; nam proles a pueris flagitiis assuefacta est, eunuchi et pravitate et auctoritate pollentes potentesque fuerunt. Quod vere magnam et laudabile laete provenire non potest, ubi rebus bene gestis stare non li-

---

11) Philo de somn. p. 598. B. C. ed. Francof.
12) Tusc. Quaest. 1, 2.
13) Iustin. 30, 1.
14) Strabo 17. p. 796.
15) Cic. Tusc. Quaest. 1, 34.

cet sed blanditiis, quia viris, qui de republica bene meruerunt, in sede libidinis et luxuriae ius dicitur, ubi bene vivere pro recte vivere, divitiae pro virtutibus, amplae opes dissipatae pro gloria habentur ex hostibus reportata, ubi cuiusvis generis impudicitia ingravescit, ubi graeco more pueros amare, multarum una uti mulierum consortio, connubiis germanorum ab ipsis parentibus conflatis aut in testamentis constitutis, incesta admittere nihil turpitudinis habet, ubi denique malis ex his sceleribus ortis per parricedia mederi, iura praecipue successionis stabilire, mala ex malis serere in consuetudinem venit. Rationem huius rei altius repetere longum est et taedium affert; in pausa conferam. Praesidia luxuriae Ptolemaeos non defecerunt. In pompa Philadelphi in uno tabernaculo, ut reliqua mittam, variae fabricae vasa aurea et argentea, quibus pondus decem fere millium talentorum argenti, in conspectu Alexandrinorum exposita ac ter mille ducentae coronae aureae delatae sunt.[16]) Ab initio quidem genio minus indulsisse videntur quam seriori aevo; nam aquam Nili filiae Berenici in Syria degenti mittere Philadelphus non dubitavit;[17]) postea autem aquae potoribus temperantia parum laudi fuit, quod in aula Evergetis II. Demetrius, Academicus, cum fraude sua persensit.[18]) In libro, quem ὑπομνηματα inscripsit, scilicet ut Physconis nomen promereri videretur, quid maxime gulis in avibus spectandum

---

16) Athen. D. 5. p. 197 et 202.
17) Polyb. Frag. 54.
Athen. D. 2 p. 45.
Achill. Tat. de Clitoph. et Leucip. amor. 4. c. 18.)
cfr. Plutarch. de Isid. et Osir. Op. Tom. II. p. 353. ed. Trai. ad Rhen.
18) Lucian. Calumn. §. 16.

sit, iste Evergetes diserte exposuit.[19]) Sed sumtuosa etiam et rara hosce reges iuvabant:

„Imparibus formis deceptum te patet. — —
Ducit te species video."

et cum apud veteres „de medio potare die" in virum honestum non caderet, Ptolemaei inde a prima luce coenis helluati sunt.[20]) Dum Seleucidae, iisdem, quibus Lagidae flagitiis infames, parco thesauro parce plerumque vivere cogebantur, Alexandriae contra reges divitias ostentare avebant, et post Evergetem I. praecipue fastus se hic insolentius extulit. Mox indecora etiam, et quae oculos impudicos pascerent, opes iactantes, sectati sunt. Regnante Evergete II. pellucidis vestibus ornati aulici in publicum prodierunt et saltaverunt, et ne Scipionis quidem Africani gravitas regem istum ipsum deterrere potuit, ne ταραντινίδιον[21]) indueret.[22]) Hac quidem in aula eorum etiam regum ingenium, qui bona indole fuisse dicuntur, tanquam in voragine omnis generis turpitudinum contaminatum et submersum ac plerosque, priusquam regnum ad eos rediret, servos suorum servorum, vitiorum aemulos fuisse, apparet. Gliscebant autem haec mala ad unum paene omnia in turpi, quod reges cum mulieribus habuerunt, commercio. Ptolemaeus Lagi cum se in Artacames et Thaidis consuetudinem daret, facem quasi ad libidines praetulit. Nec Philadelphus, statuas ponens mulierculis, poculum te-

19) Athen. D. 14. p. 654.
20) Lucian. l. c.
21) Lucian l c.
Id. Dial. Meretr. 7, 2. Schol.
Pollux 7, 17.
Hesych. ad v. ταραντινιδ.
Horat. Serm. 2, 4. 34.
22) Iustin 38. 8.
cfr. Diod. sic. fragm. l. 34. (Legat. 32.)

nentes,[23]) concubinatum erubuit; ne cum Myrtio quidem, prostibulo, rem habere, et splendissimas ei exstruere aedes dubitavit,[24]) ut, quae Agathocles a Philopatore passus sit, silentio praeteream.[25]) Sed aliud quoque venenum Ptolemaeus caeterique Alexandri successores in Oriente imbiberunt: complures quidem una duxerunt mulieres, quod cum regibus Orientis pestiferum esset, Alexandrinis quoque, praesertim cum incesta etiam flagitia non aversarentur, inde ab initio perniciosum fuit.[26]) Forsan hac in re Philadelphus, quem primum incestus reum faciunt, eo magis se sibi indulgere pcsse censuit, quod non praeter morem Aegyptiorum erat,[27]) quamvis ab Osiride eum proficisci Eusebius magis poetice quam recte contendat.[28]) Graecorum animi quantopere hac turpitudine offensi sint, vel ex eo colligere licet, quod Sotades, Maronita, Philadelphum satis acerbe et commata vere sotadeo notaverit.[29]) Nec Macedonibus id moris fuit;[30]) Alexandriae contra pestis illa detestabilis ita invaluit, ut Philometor sororem Cleopatram duceret, quae deinde alteri fratri Evergeti II. nupsit, hic autem, ea repudiata, filiam eius ex Philometore, quam vitiaverat, coniugem sortiretur. Ea lege Cleopatram ac Dionysum, filios, in regno sibi succedere Auletes in testamento statuit, ut matrimonio iuncti essent. Cum igitur, quis consanguinitate ad regem mor-

23) Polyb. Fragm. 14, 11.
Athen. D. 10. p. 425. 13. p. 576.
24) Polyb. l. c.
Athen. D 2. p 61.
25) Hieronym. in Daniel. p. 1124.
26) Pausan. 1, 6. §. 8.
27) Id. 1, 7. §. 1.
28) Praepar. Evang. 2. p. 48.
29) Athen. D. 14. p. 620.
30) Pausan. l. c.

tuum propius accederet vix vel omnino non iudicari possit, iura successionis miscebantur. Sed Alexandrum imitati sunt: auctore et suasore quasi parricidii Philadelpho, fratrem interficiente Argaeum, ferro nodum secuerunt. Qui enim fratres necare iis in religionem venire poterat, cum sorores in matrimonium ducerent, qui filios, quos tali in coniugio susceperant! Ex imitatione morum orientalium pestis etiam nata est eunuchorum, quam turpitudinis labem haec aula non ea mente sustinuit, ut libido coerceretur mulierum, sed quod dignitatis splendorem et mirum ornamentum afferre videbatur. Inde ab Amistris temporibus usque ad Ptolemaeos eunuchi alacres caedis et conspirationis satellites atque administri fuerunt; nec cum eiusmodi facinora patranda essent, primas partes agere detrectarunt Alexandriae. Tutores etiam constituti et cum reges puerilem aetatem agerent, iis, qui eos educarent, praefecti sunt: quibus quam fideliter functi sint muneribus v. c. Eulaeus, tutor Philometoris patre orbi, ac Pothinus, cui res Ptolemaei Dionysi administrandae concreditae, facile intelligitur. Quod strenue nonnulli munus militiae sustinuerunt, qualem praecipue Ganymedem Caesar expertus est, rei rationem non mutat: inter effeminatos et molles non magna mole emergunt, qui se praeter solitum fortes esse sentiunt. Fastus igitur cum istud genus hominum aleret, Alexandriae potestati timor, rebus amplis admiratio, divitiis sordida auri fames, adulatores quoque pedisequos conciliavit. Quid enim tertii iam Ptolemaei temporibus ad gratiam apud regem ineundam maxime valuerit, Callicrates, laudandi non parcus, argumento est;[31]) et ad

---

31) Athen. D. 6. p. 251.

favorem quoque procerem, qui regibus blandiebantur, magnus grex adsentatorum adspiraverunt. Quod Augustus Maecenati dedit, ut magno fastu oculos populi a principe detorqueret, Agathoclem, scortum Philopatoris sibi sumsisse invenimus; nam aula eius, aula regia splendidius comparata, Philonem aliosque parasitos aluit, plures adlexit et spe metuque suspensos tenuit, quorum illud:

— — — — — Haberes
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem si velles tradere; dispeream ni
Summosses omnes.

Quo magis mores Ptolemaeorum in deterius mutabant, eo maior parva aulicorum sedulitas, ut vitia laudibus compensarent; vix fingere licet, ubi praeclare factis reges se ornant. Sed si qua aliorum regum, Ptolemaeorum praecipue fortuna hac in re in ancipiti fuit: Graeci, dum afflicta et humili conditione erant, a gravitate quoque maiorum degenerantes, at, quantam servili animo contingere potest, literarum studio praeclari, a Ptolemaeis, artium fautoribus, acciti sunt, et reges adulandi, a quo per se non abhorrebant, incitamentum museum se iis obtulit, *τραπεζα* sive *σιτησις αιγυπτια*,[32]) cui Timon ille Sillographus invitus his ipsis verbis magis laudem tribuit quam detraxit:

Πολλοι μεν βοσκονται εν Αιγυπτῳ πολυφυλῳ
Βιβλιακοι χαρακιται, απειριτα δηριοωντες
Μουσεων εν ταλαρῳ· 33)

τραπεζορητορων in numero esse, nihilo minus omnibus in votis fuit.[34]) Sed ne omnibus, qui reges,

32) Philostrat. vit. Sophist. in Dionysio p. 524. ed. Morell. Id. in Polemone p. 533.

33) Athen. D. 1. p. 22. extr.
Eustath. in Odyss. Δ. p. 1488. l. 60. seqq.

34) cfr. F. Matter Essai historique sur l'école d'Alexandrie.

praesertim adolescentulos laudibus efferebant, adulatorum ignominiam iniungamus, cum, quo turpius rex se gesserit, eo maior eius, ad quem regnun redit, expectatio atque eo laetior spes in eo esse soleat. Nec apotheosis, quae Alexandriae satis usitata, ita vitio vertenda est, et summi numinis irrisio habeatur: ubi, an vere Dii sint, in dubium vocatur, quod tunc temporis et Graecis et Alexandrinis accidit, inter Deos referre homines, altaria iis exstruere, nihil significat, quam summum tribuere honorem, summa colere observantia, sed non tanquam Deum. At alia sacerdotum aegyptiorum ratio, qui, quae erat eorum superstitio Deos patrios esse censentes, aut pro praestigiis sacerdotalibus pii eorum cultores haberi cupientes, nihilo secius Ptolemaeum V Epiphanem ob beneficia, quae in eos contulerat, in numerum Deorum adscripserunt, verbis si inscriptioni apud Rosettam inventae fidem habemus, non solum sesquipedalibus sed redolentibus etiam animum plane servilem. Adulatorum laudibus ab omni vituperio munitos se habentis ac defensos et eo securius in flagitia quasi se ingurgitantes, Ptolemaei eo praecipue mores corruperunt, quod non obscuri delitescentes, uti reges orientales, sed in promtu et propatulo luxuriabantur: „regis (Philopatoris) mores omnis secuta regia erat. Itaque non amici tantum praefectique, verum etiam omnis exercitus, depositis militiae studiis, otio ac desidia corrupti marcebant.“ 35)

§. 8.

Dum summa rerum penes Ptolemaeos erat, Aegyptus haereditario iure ita possessa est, ut regi ipsi,

35) Iustin. 30, 1.

ipsi, quis sibi succederet, vel mas vel mulier, constituere, imo uxori filium, quem dignissimum haberet, regem creandi ius potestatemque tribuere, aut testamento sive alio pacto regnum alius populi facere liceret, quod ipsis etiam regis propinquis, quorum sub ditione provinciae erant, concessum est. At sensim tamen successio, licet publice et disertis verbis non sanctae sint, legibus quibusdam adstricta est. Virili sexui femineum plerumque posthabitum esse invenimus. Exstincta solum prole virili, aut filio, in connubio suscepto, non superstite,[36]) aut cum frater sororem duceret[37]), rarius, cum ob teneriores puerorum annos tutela impendere videretur diuturna,[38]) mulieres ad regnum admitti solebant. Cum plures regi filii essent, in morem venerat, ut natu maximus legitimus haberetur successor, quod si reges secus constituebant, populus tali conatui obstitit.[39]) Occurrit etiam apud Polybium illud Antiochi Epiphanis: *οὐ προςδεῖσθαι πολλων λογων· την μεν γαρ βασιλειαν εἶναι Πτολεμαιȣ τȣ πρεσβυτȣ.*[40]) Contra morem igitur et consuetudinem accidit, ut filii spurii summae rerum potirentur; vel reges syriaci, dummodo a filiabus regum aegyptiorum iusto matrimonio procreatis originem ducerent, potiores haeredes esse censebant.[41]) Qui nondum id aetatis agebant, ut legitime regnare possent, regum filii in tutelam pervenerunt, ab omnibus, spe dignitate eos fraudandi arrectis, summo studio affectatam. Regi, aut rege intestato mortuo, reginae

36) Pausan. 1, 9. §. 3.
37) Caes. de bell. civil. 3, 108.
38) Strabo 17. p. 796.
39) Iustin 39, 3.
40) Polyb. Fragm. 28, 19. (Legat. 84)
41) Cic. in Verr. 4, 27.

viduae, cuius in tutelam natura filios tradidisse videbatur, ius tutorem instituendi fuit. At permultis, ut cuiquam animus atque vires erant, in testamenta regum tutoribus irrepentibus aut eo provectis audaciae, ut se ipsi regni moderatores obtruderent, quod post Ptolemaei III. mortem primum accidisse refertur, populus iudicia tutelae agere solebat.[42]) Regnum cum ad Ptolemaeum rediret adultum, statim post antecedentis obitum, sin minus, cum ad virilem perveniret aetatem, sacra solemnia Memphi instituta sunt.[43]) Ptolemaeum autem Lagi hoc solemni ritu consecratum esse,[44]) et Philadelphum, cuius pompam Alexandriae duxerunt, illo modo diem, quo regni consors a patre constitutus sit, festum habuisse, falso contendunt; quid autem de duobus proximis successoribus eius statuendum sit, iure dubitatur. At inde a Ptolemaei V. temporibus, nisi res praeter spem impedimento essent, solemnia illa sacra, quibus nomen ἀνακλητηρια, semper peracta sunt. Cuius supra mentio facta est, inscriptio ita definit, ut essent: τα προσηκοντα νομιμα τη παραληψει της βασιλειας.[45]) Simile quiddam in Persia obtinuisse Plutarchus monet: Ὀλιγῳ δ' ὑστερον ἡ τελευτησαι Δαρειον, ἐξηλασεν εἰς Πασαργαδας ὁ βασιλευς (Ἀρταξερξης) ὁπως τελεσθειη την βασιλικην τελετην, ὑπο των ἐν Περσαις ἱερεων· ἐστιν δε θεας πολεμικης ἱερον, ἡν Ἀθηνα ἀν τις εἰκασειεν. Εἰς τουτο δει τον τελουμενον παρελθοντα, την μεν ἰδιαν ἀποθεσθαι στολην, ἀναλαβειν δ' ἡν Κυρος ὁ παλαιος ἐφορει, πριν ἡ βασιλευς γενεσθαι, και συκου παλαθης ἐμφαγοντα, τερμινθου

42) Iustin. 30, 2.
Polyb. 15, 25. seqq.
43) Diod. sic. Fragm. l. 33. (de virt. et vit. 32)
44) Examen crit. d. anc. hist. d'Alex. le Gr. p. 644.
45) Inscript. prope Rosett. inv. l. 28.

καταῖραγειν, και ποτηριον ἐκπιειν ὀξυγαλακτος. Εἰ δε προς τετοις ἑτερ᾽ ἀττα δρωσιν, ἀδηλον ἐςι τοις ἀλλοις.[46]) Quod si hoc igitur non sine exemplo institutum est, tamen alienum morem Ptolemaei imitati esse non videntur. Sacerdotes, quorum το ἐνθρονιζειν erat, haud dubie rei auctores fuerunt, ut Persarum sub ditione saevissime oppressi, pristinae aliquid potentiae recuperarent. Per se enim regem in solio collocare, quod in templo Vulcani sive Phtha fieri solebat,[47]) non leve anctoritatis eorum adminiculum fuit, et regem consecrandum ad iusiurandum adegerunt, se neque fastos neque dies festos, diem vel mensem intercalantem, mutare velle.[48]) Ipsa autem solemnia, quae qualiaque fuerint, per veteres, rem strictim ac leviter tangentes, accuratius exponere non licet; plura tradere, praesertim sacerdotibus, uti in Persia, religio fuisse videtur. Uti in praestigiis sacerdotum fieri solet, totius rei vis âc ratio sub symbolis latuit. Ea praecipue mente regem regia fascia redimitum Memphin intrasse verisimile est, ne sacerdotibus regnum debere crederetur. Fasciam βασιλειαν vocaverunt,[49]) quod Laur. Rhòdomanus falso: reginam vertit, cum potius, quod scriptores medii aevi dixerunt, regnum significet, i. e. βασιλειον ςεμμα, διαδημα, sive illnd, quidquid sit, quod ad etymologiam attinet, Ψχεντ in inscriptione apud Rosettam inventa commemoratum.[50]) Pileum macedonicum (καυσιαν) hic dici, suspicari possemus, cui diadema adligatum; tale enim regum

46) Plutarch. Artax. 3.
47) Inscr. supr. laud. l. 3 et 4.
48) German. Caes. in Arat. Phaenom. comment. ed. Buhle. T. II. p. 71.
49) Diod. sic. 1, 47.
50) l. 44.

Alexandro succedentium ornamentum capitis fuisse, Plutarchus refert,[1]) sed sacerdotes ad sacra aliquid profani et alieni admisisse, vix nobis probari potest. Dum inaugurabatur rex in solio sedit; post consecrationem iugum Apis per vicum unum Memphis portare debuit, ut, quid sit in vita humana laboriosi expertus, molestias hominum levare studeret,[2]) sed sacerdotes, conditionis Aegyptiorum curam se gerere simulantes pristinam in reges severitatem exercuisse ac Ptolemaeos iugum, quod et taurinum et sacerdotale erat, plerumque deprecatos esse, facile adducimur, ut credamus. Diem inaugurationis sacrificia et epulae excepeerunt, qua in re aulici regio apparatu usi sunt.[3]) In memoriam ἀνακλητηρίων nummos cusos esse, Ptolemaei Νεωτερε, fratris Cleopatrae natu minoris nummum, literis ME. signatum, argumento esse censent;[4]) sed ante sacra solemnia peragenda rex interfectus est; ex eo igitur Memphi solum ius nummos cudendi fuisse recte colligitur. Amuletis autem aureis, φυλακτηρίοις, adrogantius quam superstitiosius sacerdotes reges ornaverunt.[5]) Uti pontificum romanorum rosam auream hoc redolet, ita hoc etiam sacerdotes sibi sumserunt, ut cognomina ampla et gloriosa in anacleteriis regibus imponerent.[6]) Sed populus scapham scapham dicens, nomina invenit ignominiosa; Evergetem II Physconem, et quem sacerdotes νεον Διονυσον vocaverunt, αὐλητην nuncupavit. Qua ae-

---

1) vit. Anton. p. 941. ed. Francof.
2) Germanic. l c.
3) Inscr. Ros. inv. l. 48 et 52. Polyb. 18, 38.
4) Ioan. Vaillant. Hist. Ptolem. p. 165.
5) Inscr supr laud. l. 45.
6) Ibid. l. 1—4.

tate Ptolemaeis fas et ius fuerit ad regnum accedere, non satis constat; a nullo enim auctore, quantum scimus, diserte relatum legimus. Illud Polybii: ὅταν εἰς ἡλικιαν ἐλθωσιν[7]) ad rem explicandam non magis expedit, quam quod alio loco monet, Epiphanem regem consecratum esse: οὐδεπω της ἡλικιας κατεπειγουσης;[8]) imo τῳ ἡλικια hic alia vis esse videtur, quam in loco superiore, ita ut sit maturitas aetatis ad regnandum, non aetas legitima. Nam anno decimo quarto vel quinto Ptolemaei, quantum coniectura colligere licet, puberes habiti sunt. Id aetatis, cum anacleteria eius celebrarentur, Epiphanes egit.[9]) Auletes moribundus filium Dionysum annos tredecim natum in tutela populi romani esse voluit.[10]) Fratrem natu minorem, Νεωτερον, anno decimo quinto aetatis Cleopatra necari iussit, quod diutius a regni consortio, a Iulio Caesare constituto, eum excludere non poterat: τον μεν ἀδελφον, ᾧ την βασιλειαν ᾐδει γενησομενην, προανελουσα φαρμακοις, πεντε και δεκατον ἐτος ἐχοντα etc.[11]) Recentioris quidem aevi auctorem contendisse invenimus, Νεωτερον Memphi consecratum esse;[12]) at ille verbis Porphyrii: ὁ νεωτερος ἀδελφος Κλεοπατρας συνεθρονισθη τῃ ἀδελφῃ,[13]) in errorem inductus est, uti το θρονιζειν saepius falso interpretati sunt.

§. 9.

Aegyptus armis quidem in ditionem Ptolemaeorum redacta est, sed non ad arbritrium suum

7) 28, 10. (Legat. 78)
8) 18, 38.
9) Inscr. supra laud. l. 4 et 8.
10) Eutrop. 6, 21.
11) Ioseph. Ant. Iud. 15, 4. 61.
12) Vaillant. Hist. Ptol. p. 164.
13) Graec. chron. Euseb. ed. Maii et Zohrab. c. 22. §. 7.

reges res publicas moderari potuerunt. Macedones, quorum summa Alexandriae auctoritas, libere semper et ingenue, quid sibi videretur, cum regibus macedonicis communicaverunt: *ειχον γαρ αει την τοιαυτην ισηγοριαν Μακεδονες προς τες βασιλεις*;[14]) imo et Archelaus, de civitate meritissimus, proceres adversarios expertus est. Quantum Macedonibus Alexandriae a regibus concessum sit, aut quantum ipsi sibi sumserint, scriptores exacte non exponunt. Comitia autem, populo aut in hippodromum aut in stadium, aut, praesertim seriori aevo, in gymnasia se congregante, ibi habita esse, satis liquet.[15]) Comitiorum Macedonum mentionem faciunt, qui, Aegypti expugnatores, semper armis accincti et hanc ob rem *τα ϛρατιωτικα* vocati, dum caeteri Alexandrini *τα πολιτικα* nominabantur, prope regiam seorsum a caeteris civibus, contingua tabernacula habitabant, una quoque, quo arctius coniuncti essent, coenantes.[16]) Seriori etiam aevo, regnantibus Epiphane et Philippo III, tantum nomen macedonicum valuit, ut Ptolemaeus, Sosibii filius, cum peregrinans aulicis Philippi familiariter usus esset, magnam sui persuasionem sibi indueret, ac caeteros Alexandrinos mancipia et molles (*ανδραποδα και βλακας*) haberet.[17]) Sed summa fide erga reges legitimos insignes, fide quoque ingenita solium fulcientes, Macedones saepius satis diu rem publicam ab illis male administrari passi sunt. Cum autem, malorum, quorum ob Ptolemaeorum vel tutorum perversitatem nullum esse medicamen videbatur, ultores habiti,

14) Polyb. 5, 27.
15) Id. 15, 26 30.
16) Id. 15, 26. 28. 29.
17) Id. 16. 22. (de virt. et vit, 16)

et ob id ipsum, qui ab illis oppressi de salute desperabant, se in fidem eorum permittentibus, seditionem excitarent, omnes iis praesto esse solebant Alexandrini. Rebus integris reges puberes et legitimos Macedones nec in consilium adhibuisse, nec ad ea, quae constituerant, sancienda provocasse, rebus contra suis labantibus, aut cum vel reges ipsi vel tutores et ministri instituta sua populo probare cuperent, Macedones semper primos coegisse invenimus.[18]) Macedonibus consiliis eorum obstantibus, caetera congregaverunt corpora, συςηματα,[19]) quod non varias, quas cives exercebant artes, sed varias gentes, e quibus populus Alexandrinus coaluerat, et quae singulae in conciones cogebantur, significare videtur. Quantum populo per constitutiones regni in comitiis iubere licuerit, incertum est; sed, ob scurrilitatem et levitatem merito male audientes, Alexandrini tamen maiestatem esse populi senserunt, qua muniti, quo minus aut pravi tutores regem aut pravi reges rem publicam pessum darent impedire et possent et deberent. Minime igitur ficta auctoritate freti temere civitati tumultus iniicientes, pessima potius quaeque perpessi diu in regibus fiduciam collocantes, cum, reges remedium malorum ac solatium allaturos esse, spes plane ad irritum caderet, ipsi a rebus adversis se vindicarunt. Ut rem exemplis firmemus, Agathoclem, post mortem Philopatoris ad summam rerum adspirare atque accedere ausum, populus, conatus tam nefarios infringens, interfecit.[20]) Philometori contra, matre Cleopatra mortua, Lenaeum et Eulaeum tutores

---

18) Id. 15, 26.
19) Id. ibid.
20) Id. 15, 30 seqq.

constituit.[21]) Cum post obitum Physconis Cleopatra, ut ad Alexandrum, filium natu minorem, regnum rediret, in Lathurum, filium natu maiorem iniuste et gravius statueret, Alexandrini, ut Lathurus patri succederet, evicerunt.[22]) Regi ministri quoque publici et aulici summo loco atque ordine in consilio affuerunt: *οἱ συνεδροι*, sive *οἱ τȣ συνεδριȣ*. Synedrium, cui legati aliorum populorum nonnunquam intererant, regi solum licuit cogere, *συναγειν το συνεδριον*; sin minus, nec impune convenit, nec, quod statuit, ratum habitum est. Vocato contra non venire fraudi fuit.[23]) Quamquam de iis, quae in synedrio agerentur, nihil certi refertur, nisi quod summis in rebus domi bellique moderandis regis ministri electi,[24]) et, cum crimina admisissent, damnati sint,[25]) tamen, quin de aliis quoque hic deliberatum atque in utramque partem disputatum sit, dubitari nequit. Nam qui primum tenebat locum, eorum, quae proponenda erant, rogationem, *εισδοσιν* sive *εκδοσιν* ad regem tulit. Apud Eusebium de Philadelpho mentionem facientem, haecce occurrunt: *εκελευσεν τον Δημητριον εκδȣναι περι της των Ιȣδαϊκων βιβλιων αναγραφης*· et inferius: *τηςδε της εκδοσεως εςιν αντιγραφον τοδε*;[26]) atque eadem fere apud Iosephum leguntur.[27]) Falsi nominis quidem Aristaei auctoritatem in rebus commenticiis interponunt, sed mores et instituta aulae Alexandrinae ille fingere non potuit. Tabulae

---

21) Hieronym. in Daniel. p. 1127. cfr. Polyb. 28, 17.
22) Iustin. 39, 3.
23) Polyb. 18, 36. 37. cfr. 16, 22.
24) Id. 16, 22.
25) Id. 18, 37.
26) Euseb. Praep. Evang. 8, 3.
27) Antiqu. Iud. 12, 2. §. 3 et 4.

publicae (βασιλικαι ἀναγραφαι) nomine regis solum conscriptae sunt; nonnunquam autem nomen reginae etiam, cuius amore Ptolemaeus maxime flagrabat, additum esse videtur.[28]) Ὑπομνηματογραφῳ,[29]) sive τῳ προς τοις γραμμασι τεταγμενῳ,[30]) qui regi ab epistolis erat, non scribae solum ministerium sed cura etiam et custodia tabularum fuit, quo munere viri tantum et sapientissimi et fidelissimi fungi potuerunt. Alexandriae tabularium fuisse, verbis Appiani, exercitum naves et aerarium Aegyptiorum commemorantis rem testatam habemus: ἐς γαρ δη τοσοῦτο παρασκευης τε και στρατιας ἐκ των βασιλικων ἀναγραφων φαινεται προαγαγων τε και καταλιπων ὁ δευτερος Αἰγυπτου βασιλευς μετ' Ἀλεξανδρον. (Ptolemaeus Lagi)[31]) Inter eos, quibus ad rem publicam moderandam reges administris usi sunt, primum dignitatis locum tenuit, cui sigilli cura mandata erat. Solemni ritu in synedrio sigillum ei traditum est. Idem cum custodibus etiam corporis Ptolemaei praeficeretur, quamvis semper ei non contigerit, magnam auctoritatem eius fuisse apparet.[32]) Aerarii administrandi summa potestas (ἡ των χρηματων φυλακη) penes regem vel tutorem eius fuit.[33]) Quaestores, ταμιαι, quibus rex pecuniae exigendae ac solvendae et rationum computandarum administris usus est,[34]) διοικητην iis praeficiens,[35]) singuli certam quandam provinciam, v. c. pecuniae ex bo-

28) Id. ib. 13, 3. §. 2.
29) Strabo 17. p. 797.
30) Polyb. 15, 27.
31) Appian. praefat. in Rom. Hist. p. 8. ed. Amstel.
32) Polyb. 16, 22.
33) Id. 16. 21.
34) Athen. D. 11 p. 494.
35) Cic. pro Rabir. Postum. 10.

nis publicatis confectae aerário tradendae, sortiti esse videntur.[36]) Militibus quaestores militares, ὑπηρεται των ταγματων, stipendium solverunt;[37]) alii magistratibus civilibus.[38]) Quantum ex iis, quae Appianus[39]) de tabulis regiis publicis refert, colligere licet, omnes quaestores accepti et expensi rationem regibus reddere debuerunt; imo Athenaeus quoque[40]) tabulas commemorat, quibus non solum nomina eorum, quibus stipendium erat solvendum, continebantur, sed etiam, quod quisque acceperit vel non acceperit, inscriptum erat (τα βιβλια, ἐν οἱς εἰσι αἱ ἀναγραφαι των τας συνταξεις λαμβανοντων). Omnes administri regis ac magistratas annuo stipendio fruebantur.[41]) Quo minus ad summos honores eveheretur, nec patria, nec, quibus addictus erat, religiones ulli fuerunt impedimento. At externis, honores in Aegypto adeuntibus, vestitum aegyptium deprecari non licuit.[42])

§. 10.

De iurisdictione et cura urbis exponentes, quidquid sit, huius etiam rei spinosae expediendae leve aliquod momentum veteres afferunt. Lites Aegyptiorum reges non ad arbitrium suum disceptasse cognoscimus. Ptolemaeo Lagi, populorum valde mixtorum imperium nacto, id primum curae cordique fuit, ut leges, quibus et regni moderatores et caeteri Aegyptii adstricti essent,

---

36) Ioseph. Ant. Iud. 12, 2. §. 3 extr.
37) Id. ibid.
38) Athen. l, c.
39) in praefat.
40) l. c.
41) Polyb. 15, 31.
   Athen. l. c.
42) Cic. pro Rabir. Postum. c. 10.

promulgaret. Legum ferendarum munus viris, quibus Demetrius Phalereus praeerat (νομοθεσίας ἦρξε) mandasse videtur.[43]) Demetrium ac socios eius leges a Graecis et Macedonibus mutuatos et eo solum bene meritos esse, verisimile est, quod eas ita in unum redigerent, ut praesenti congruerent regni Aegyptii conditioni. Indigenae quidem Aegyptii, quot patrios mores in nomis servabant, quae erat hac in re Macedonum humanitas, haud dubie patrio more iudicati sunt; in Iudaeos Alexandrinos ethnarchae (alabarchae) e gente eorum oriundi, iudicia exercuerunt;[44]) sed ob advenarum et multitudinem et diversam originem, atque ob sacerdotes in pristinam non restituendos dignitatem et auctoritatem leges aegyptiae Alexandriae litibus dirimendis sufficere non poterant. Quae cum se ipsa nobis satis probent, paucissima quoque, quae de novis Aegyptiorum legibus et institutis memoriae prodita sunt, rei fidem afferunt: Philonem enim, in flagellandis civibus nationis vel dignitatis rationem habitam esse, testari invenimus; Aegyptii indigenae alio modo et ab illis flagellati sunt, quam Alexandrini, qui, cum aliquid deliquissent, a ministris publicis alexandrinis (σπαθηφόροις) spathulis vapulabant. Aegyptii in flagellatione crudelius habiti sunt.[45]) Iudicibus ἀρχιδικαστής praefectus est.[46]) Complura etiam, quibus regis, regiae et regni securitatem assequerentur instituentes, Ptolemaei, longe maiori studio quam Romani seriori aevo, ne negligerentur, vigilarunt. Rege nescio et invito

43) Ael. V. H. 3, 17.
44) Ioseph. Ant. Iud. 14, 7. §. 2.
45) Philo in Flacc. p. 976. ed. Francof.
46) Strabo 17. p. 797.

nemini Alexandria avehi licuit; quod ne lege migrata admitteretur, non in portibus solum sed in reliquis quoque exitibus custodes in statione fuerunt.[47]) Easdem cum ad sinum arabicum stationes dispositas esse relatum legamus, ab itineribus saltem clam rege mari susceptis in toto regno omnino interdictum esse videtur.[48]) Advenarum quoque conditionem custodes perscrutati sunt, non solum librorum causa των ἐκ πλοιων, sed si qua sibi suspicio periculi ab illis regno imminentis incideret, ut regem eius rei certiorem facerent.[49]) Sed commercii quoque et redituum publicorum curam in causis fuisse, cur ita statuerent, facile adducimur ut concedamus. Nam quibus regem defraudare possent, permulta fuerunt. Portitoria non Schediae solum, quod sententiam Strabonis ferre videmus,[50]) sed aliis etiam in locis reges quam plurima coegerunt. Propter auri fodinas in Aethiopia et ob facilitatem, apud Aethiopes, metalla mutando, ferro, quod illi summi faciebant, aurum sibi parandi, ne quid metalli exportaretur vel impartaretur, cavendum erat.[1]) Venationes addas elephantorum, quas Ptolemaeus Philadelphus primus institui iussit.[2]) Magna lucro reges ebur vendiderunt.[3]) Deinde a charta papyracea exportanda reges, Attalorum aemuli, interdixerunt.[4])

47) Id. 2. p. 101.
48) Id, 2. p. 98.
49) Id. ibid.
50) Id. 17. p. 800.
1) Diod. sic. 3, 11 seqq.
2) Monum. Adulit. in Fabr. Bibl. Gr. lib. 3. p. 605. cfr. Strabo 17. p. 789.
3) Peripl. Mar. Erythr. cfr. Bredow Untersuch. 2. p. 749. et F. S de Schmidt opusc. p. 214.
4) Plin. H. 12, 13. 11. cfr. Schmidt op. p. 368. seqq.

Quamvis satis caute igitur peregrinos admitterent, tamen in tanta hominum colluvione ab incendiariis, effractoribus, homicidis ect. excubiis nocturnis, quibus praefectus vigilum, νυκτερινος ϛρατηγος, praeerat, se defendere debuerunt.[5]) Praefectum quoque annonae, ἐξηγητην, purpura insignem, delegerunt, qui annonae et copiam et vilitatem, commeatus igitur e caeteris Aegypti nomis Alexandriae subvehendos procuraret (χρησιμα τη πολει).[6]) Hanc ob rem apud Polybium: παντων των παρακομιζομενων ἐπιτηδειων εἰς την Ἀλεξανδρειαν κρατων vocatur.[7]) Nam quae luxuriam alunt, iis omnibus industria mercatorum urbs abundavit. Rege absente, qui inter aulicos vel amicos summa dignitate erat, in vicem imperii successit: ὁ ἐπι της πολεως απολελειμμενος,[8]) praecipue ut securitati publicae consuleret.

§. 11.

Alia autem fuit Alexandriae, alia Aegypti, alia denique provinciarum administratio. Quo maiori singulae momento erant ad regnum tuendum, eo maiorem curam earum servandarum Ptolemaei gesserunt. Caput igitur et cardo rerum Alexandria habita est, ita ut Aegypto ab Antiocho Epiphane expugnata, tamen, Alexandria incolumi, regnum stare videretur. Deinde propter belli terra marique gerendi atque opum mercatura lucrandarum opportunitates Aegypto tantum tribuerunt, ut cum ab incursu hostium defensa esset, caeteris perditis, de salute non desperarent. Non paterno animo igitur, sed suae ipsorum fortunae

5) Strabo 17. p. 797.
6) Id. ibid.
7) 15. 26.
8) Polyb. 5, 39.

cura adducti reges Aegypto, indigenas caeterum incolas provinciis posthabentes, ita consuluerunt et prospexerunt. Aegyptum in νομȣς (praefecturas)[9] dispositam nacti Ptolemaei hac in re nihil mutarunt. Licet nec cum Diodoro Siculo faciamus, Sesostri hanc divisionem tribundam esse, censente,[10] nec cum Philone, qui Iosephum, Iudaeum, auctorem laudat et hanc ob rem iure castigatur,[11] remotissimis tamen haud dubie temporibus orta est. Singulis nomis νομαρχαι praefuerunt, quorum praecipue tributum exigere fuisse videtur.[12] Vetera nomina sub imperio Ptolemaeorum plerumque non abolita sunt;[13] sed praefecturas novas[14] et nomina[15] addiderunt. Cum in oppidis aegyptiis magistratus, οἱ ἐπι των πολεων καθεςαμενοι,[16] patrio quisque more cuncta administrarent, in iis, quae a Ptolemaeis condita sunt, de more graecarum urbium res publicae moderatae esse videntur. Ptolemaide in Thebaide ita obtinuisse apud Strabonem legimus (ἐχȣσα και συςημα πολιτικον ἐν τῳ Ἑλληνικῳ τροπῳ)[17] Alexandriae, aliisque in locis, praecipue Schediae, vectigal exportatorum et importatorum exactum est,[18] ac cuique prafecturae (νομῳ) aerarium peculiare fuit, cui qui praeerant, τραπεζιται βασιλικοι vocati sunt.[19] In populos, qnos reges armis suae ditionis fece-

---

9) Iustin. 30, 2.
10) 1, 54. cfr. 73.
11) de migrat. Abrah. p. 420. A.
12) Diod. sic. l. c.
13) Epiphan. lib. 1. in haeresi Basilid.
14) Id. ibid.
15) Pausan. 1, 7. extr.
Strabo 17 p. 801.
16) Polyb. 5, 27.
17) 17, p. 813.
18) Strabo 17, p. 800. extr.
19) Ioseph. Ant. Iud. 12, 2. §. 3. extr.

rant, partem incolarum provinciae expugnatae in Aegyptum migrare iubentes,[20]) aut captivos servos aut bonorum eorum partem vendentes vel dimidium,[21]) iure belli severe usi sunt; et cum Evergetem I, Africanis victis, ut agros suos vectigales retinerent, concessisse ac mulieres adolescentes et virgines sibi elegisse accipiamus,[22]) ex eo efficitur, ut Ptolemaei, non secus ac Romani, quorum in fidem populi se permiserant, non bona publica solum, sed etiam privata et ipsos homines, ad unum omnia in finibus expugnatis sibi propria esse censerent. Sed in administrandis et ornandis provinciis non eadem, qua Romani experientia et prudentia usi sunt. Nulla rei publicae moderandae aequalitate pro temporum ratione mitius aut gravius in debellatos statuerunt. Reges superatos, de novarum rerum studio non suspectos regno pellere non soliti sunt;[23]) munus, securitatem maris vel mercaturam Aegyptiorum iuvandi, iis iniungentes, vectigales eos fecerunt.[24]) Ubi igitur ex re publica esse videbatur, milites solum in praesidiis relinquentes, alio tempore, praecipue si populus ad hostes defecerat, praetores provinciis imposuerunt.[25]) Ptolemaeis, quod vel ex hoc colligitur, minus, ne populi desciscerent, cavere, quam, cum descivissent, graves ex iis poenas repetere laborantibus, auctores seditionis, praesertim reges, imperium detractantes, capitis damnati,[26])

---

20) Id. ibid. 12, 1.
Id. contra Apion. l. 1. §. 4.
21) Monum. Adul. p. 606.
22) Ibid. p. 607.
23) Diod. sic. 19, 79. 20, 21.
24) Mon. Adul. p. 607 et 608.
25) Diod. sic. 19, 79.
26) Id. 20, 21.

caeteri armis privati[27]) aut urbe eorum eversa, in alias vel urbes vel provincias translati sunt.[28]) Sed pone quidem, Ptolemaeos regnum ita administrare voluisse, ut et in provinciis iis omnia ab omni parte tuta ac defensa essent, et plurima ex provinciis in sedem regni redundarent commoda, quod, qui caute, non temere terminos proferunt imperii, efficere student, res ipsa magnas difficultates afferebat. Perincommode cadit, si sortes quasi ita aequales sunt, ut terra marique fere totidem regni partes sibi vindicare possint: Venetorum civitati fatale fuit, nec hodie Dani meliori gaudent fortuna; regni aegyptii, nisi quod ab oriente solum et a septentrione pericula ab exteris impendebant, eandem rationem fuisse, facile intelligitur. Summopere igitur Ptolemaeis annitendum erat, ut Cyrenaica semper pacata esset. Cyrenaeos, cum seditionem movissent, valido quidem exercitu Ptolemaeus Lagi coercuit et quas commercio parabant, opum partem maximam Alexandrinis curavit lucrandam, sed quid Ophellas, quem provinciae praefecerat, moliretur, securus. Illis autem temporibus, quibus ima paene ubique summis mixta erant et pro viribus regnum quisque condere studebat, Ophellas, Alexandro duce in Asia stipendia meritus, dictis Ptolemaeo audiens esse aegerrime ferebat. Defecit igitur a rege, cui mox, ab Agathocle interfectus, poenam luit.[29]) Ne nunc quidem reges melius sibi consuluerunt. Nam cum filiis aut fratribus natu minoribus Cyrenen administrandam permitterent, qua in re Ptolemaeus

Lagi

27) Id. 19, 79.
28) Id. ibid.
29) Id. 20, 40—42.

Lagi primum consilio lapsus est, res eo rediit, ut Evergetes II filio spurio Apioni, qui deinde populum romanum haeredem scripsit, provinciam testamento relinqueret.[30]) Incuria regum Cyprum administrantium, insulam et ad mercaturam et ad potestatem eorum iuvandam plurimum valentem, naves constructuris et adornaturis materia, cupro aliisque, quae exportarentur, mercibus abundantem et maximis gaudentem opportunitatibus ad bellum terra marique gerendum, eodem vel maiori iure castigatur. Magnum Aegypti propugnaculum, hostes semper anxios habens, Aegyptiis bello superatis, ex quo facillime prorumpere, maris mediterranei litora, vel sua praesidiis munire, vel hostilia infesto agmine adgredi possent, firmissimum obtulit refugium. Quanta in hac una insula belli subsidia quasi occulte laterent, Lathurus Alexandro Iannaeo cum triginta millibus militum bellum inferens, manifestavit.[31]) Rebus turbulentis in Aegypto territi Cypro opum quoque servandarum receptaculo Ptolemaei usi sunt. Nihilo secius autem eorum, quae talis insulae conditio ferre videbatur, contrarium accidit. Regulis demum imperium detrectantibus Nicocreonta, ut et ducis et reditus illorum cogendi munus obiret, Ptolemaeus Lagi Cypro praefecit.[32]) Quod cum de more Persarum institueret, eodem modo res publica labefacta est. Polycrates, dux Cypro impositus, dum Epiphanes sub tutela erat, tributum se Alexandriam missurum esse plane negavit.[33])

30) Appian. de bell. mithrid. p. 420. ed. Amstel.
Iustin. 39, 5.
Eutrop. 6, 9.
31) Ioseph. Ant. Iud. 13, 12. §. 3.
32) Diod. sic. 19, 79.
33) Polyb. 18, 38.

et qui ei successit, Ptolemaeus Macer, licet eadem fide regem Philometora coleret, idem sibi sumsit,[34]) ac deinde ab aula iniuria affectus insulam Syris tradidit.[35]) Cypro recuperata, Ptolemaeos, aut ob aetatem Alexandriae ad regnum non accedentes aut regno pulsos ad insulam confugere ibique sui iuris esse, Aegyptii facile passi sunt.[36]) Filio postea spurio Lathuri, Ptolemaeo, in patrimonium et Romanis denique, Publio Clodio Pulchro avaritia regis exacerbato, in praedam cessit.[37]) Provinciae asiaticae, Palaestina, Phoenice ac Coelesyria Ptolemaeis, nisi Syria quoque et Asia trans Taurum in ditione eorum erant, magis damno quam commodo esse debuerunt. Omnia quidem maris mediterranei interioris litora, imo Peloponnesum expugnare conati, sed, quod appetebant, parum assecuti sunt. Quae cum ita essent, firmissimis omni tempore praesidiis provinciae illae, tanquam militares, ab incursu Syrorum vicinorum et invidorum muniendae erant; sed non nisi bellis imminentibus aut flagrantibus huic rei operam dederunt. Saepius igitur, ut eis ab hostibus subito impetu invasis denuo potirentur, quam ut ab initio propitio Marte eas defenderent, accidit. Administratio et civilis et militaris, praefectis provinciarum mandata,[38]) in hoc uno in provinciis asiaticis peculiari quadam ratione ac disciplina fuit, quod indigenae reditus

34) Id. 27, 12. (de virt. et vit. 27.)
35) II Maccab. 10, 13.
36) Pausan. 1, 9.
Iustin. 39, 4.
37) Strabo 14. p. 684.
Plutarch. in Caton, min.
Dio Cass 38. p. 78.
38) Ioseph. Ant. Iud. 15, 5. §. 1.

publicos, in licitatione, Alexandriae facta, iis, qui superiores erant, addictos, Alexandriae quoque pecuniam solventes, conducebant.[39]) Qua de re autem alia hic publica redigendi ratione usi sint, ut praefectos, quibus magna ad Syros deficiendi opportunitas erat, coercerent, an ab ipsis proceribus et opulentis harum provinciarum incolis adducti, quod verisimilius, non satis liquet.

§. 12.

Epaminonda, Philippo atque Alexandro et qui exercitui eius praefecti erant, ducibus vel posteris eorum auctoribus scientia rei bellicae valde aucta et omnis bella gerendi ratio mutata est. Nec defuere, qui, quae in proeliis et oppugnationibus evenire possent, omnia ordine et docte in scriptis enarrarent, τακτικοι, quales Athenaeum Siculum, qui de machinis bellicis scripsit et Philostephanum, castra Lathuri sequentem, fuisse accipimus.[40]) Quod militum quoque conducticiorum usus ex Alexandri saeculo longe frequentior fuit, moribus ad mollitiem lapsis, populis, qui nova imperia inviti tolerabant, opportunitati milites conducendi, a maiori et commercio et paupertate gentium ortum habenti, tribuendum est. Ordine militari haereditario Aegyptiorum a Ptolemaeis sublato, genus tamen quoddam militum, nostratum simile, qui semper bellum meditantur, regibus fuit. Hisce enim advenis, nisi exercitu, tanquam propugnaculo, circumdatis, in tantum populum firmum esse non poterat imperium. Tabernacula igitur vel casas Macedonibus aliasque iis contiguas caeteris militibus exstruentes,

39) Id. ibid. 12. §. 4.
40) Id. ibid. 13, 12. §. 5.

in ipsa urbe Alexandria, ut in colonia militari, castra muniverunt.[41]) Mirum erat, nisi Macedones, armis Aegypto potiti, armati eundem locum habitantes, se caeteris civibus potiores habuissent. Vere autem et dignitate et auctoritate omnibus praestantes, tamen, praetorianorum quae redolerent facinora rarissime aut plane nunquam admiserunt, sed Ptolemaei, nisi a virtutibus maiorum plane degenerabant, summam eorum fidem experti sunt, licet non candore solum animi adducti, sed qua erant conditione etiam coacti, cum non nisi rebus regum integris ipsi incolumes esse possent, Macedones ita Ptolemaeis mores probaverint. Aegypto pacata et quieta Macedonibus et militibus conductis exercitus continebatur; castra contra metantes aut proelium committentes a caeteris Alexandrinis Macedones separati non fuerunt, ita ut nomen eorum sub voce: Alexandrini lateret.[42]) Aegyptiis quidem indigenis, quos ad confligendum cum hostibus arma quoque cepisse refertur, reges, voluntate et virtute eorum minime freti, stratoribus et calonibus, qui tela et caetera impedimenta portarent, potius uti voluerunt, quam militibus.[43]) Cum autem a Persis devicti toties et tam prospero successu rebellarent, Aegyptii Alexandri aevo ignavia et socordia plane torpere non potuerunt. In fide ac virtute Iudaeorum, quamvis inde a Ptolemaei Lagi temporibus nonnunquam per urbes in praesidiis dispositi sint,[44])

41) Polyb. 15, 26. 28. 29.
De quinque regionibus urbis adi Philon. in Flacc. p. 973. A. B. et Th. Reinesii Var. Lect. 1. c. 9. ad h. l.
42) Strabo 17. p. 797.
43) Diod. sic. 19, 80.
44) Ioseph. A. Iud. 12, 1.

et Cleopatra, mater Lathuri, Chelciam et Ananiam, Iudaeos, duces constituerit,[45]) Ptolemaeis etiam minus acquiescere licuit. Nam quae amicitiam inter eos aliosque populos eorumque reges dissociarent, permulta fuerunt. „Ob hostile enim odium adversus omnes alios,"[46]) πολεμιυς ὑπολαμβανοντες παντας,[47]) quippe quibus, „ἀπανθρωπος τις και μισοξενος βιος" esset,[48]) male audientes apud veteres, Aegyptios praecipue odio et contemtui habuerunt. Inani sui persuasione tumescentes et fortuna maiorum, a pigritia ad laborem vi vocatorum exacerbati, populum aegyptium mollitiae, segnitiae, sese oblectandi et lucrandi studii insimulantes,[49]) boves atque arietes, pecudes utiles, eum coluisse satis humane excusantes, ob adorationem tetrorum crocodilorum et saevorum leonum eum perversissimum et perditissimum esse censuerunt.[50]) Macedonibus igitur et mercenariis Ptolemaeos salutem credere maluisse apparet. Initio quidem, ubi fines Aegypti arctiores et gravissima bella gerenda erant, reges, ut naves armarent, oppida firmarent praesidiis, portus et ostia Nili ab impetu hostium munirent, milites apud exteros non potuerunt non cogere. Mox, Aethiopia expugnata, cuius in fodinis permulti aut bello capti aut ob maleficia ad metalla damnati aurum eruere coacti sunt, alia accessit ope conductorum militum utendi necessitas, barbarorum, quibus servis omni cum iis sermo-

---

45) Id. ibid. 13, 10 et 13.
46) Tacit. Hist. 5, 5.
47) Diod. sic. 34. Fragm.
48) Id. 40. Fragm.
49) Ioseph. A. Iud. 2, 9.
50) Philo de decal; p. 755.
Id. de Ioseph. p. 562.

nis commercio ademto, excubitoribus certis confidere possent.[1]) Cum autem inde a Philopatore tam male in regnum suum consulere inciperent, ut et Macedones furores eorum comprimere conarentur, in mercenariis summam Ptolemaei fiduciam collocaverunt. Auxilio eorum fretum Physconem et cognatos et Alexandrinos crudeliter persecutum,[2]) Auletem contra ab hac parte non amplius munitum solum vertere coactum,[3]) et, quae regnandi studio regni iacturam fecit, Cleopatram quadringentis Gallis custodibus corporis usam esse,[4]) relatum legimus. Sed istud regiae potestatis tuendae adminiculum, cum non magna vis solum stipendii militibus conducticiis persolvenda et largissime parandus commeatus esset, quibus deficientibus seditionem excitare solebant, sed summis etiam gauderent iuribus, pestis reipublicae fuit. Ducibus, qui et arma pararent et armaturae praeessent, e gente sua oriundis usi sunt,[5]) ac, dummodo imperata facerent, cuiusvis criminis admittendi licentia iis data est;[6]) imo eo audaciae processerunt, ut regnante Philadelpho quatuor millia Gallorum Aegypto potiundi consilium inirent; rex, quae erat veterum in mercenarios crudelitas, a Callimacho, Philadelphum adulante, temere laudibus praedicata,[7]) Gallos in desertam Nili insulam, ubi, fame laborantes, mutua caede se confecerunt, mitti iussit.[8]) In scrip-

---

1) Diod sic. 3, 11—13.
2) Iustin. 38, 8.
3) Dio Cass. 39, p. 97.
4) Ioseph. A. Iud. 15, 7. §. 3.
5) Polyb. 5, 63. 64.
6) Iustin. 38, 8.
Strabo 17, p. 797.
7) Hymn. in Del. v. 182. seqq. et schol.
8) Pausan. 1, 7.

tis tabularii regii ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum, trecentos elephantos, bis mille currus falcatos, et arma, quae trécentis millibus militum sufficerent, Philadelpho fuisse, relatum est.[9]) Apud Hieronymum, nisi quod de viginti millibus equitum et de quadringentis elephantis mentionem facit, idem fere legitur.[10]) Quin vere tantis copiis rex gavisus sit, non est, quod dubitemus, cum pompam Philadelphi quinquaginta septem millia peditum et sexcentos et viginti tria millia equitum et ducentos ornasse,[11]) et Lathurum in una insula Cypro triginta millia militum alere potuisse,[12]) constet. Sed, quod scimus, numerosissimus, quo unquam Ptolemaei vere usi sunt, exercitus, numerum septuaginta millium peditum, quinque millium equitum et septuaginta trium elephantorum, quibus ad Raphiam Antiochus M. a Philopatore debellatus est, explevit.[13]) Militibus ante tempora Philopatoris per gentes solum, et qui ex eadem gente oriundi erant, pro ratione stipendii centuriatis, illo regnante Echecrates, Thessalus, Phoxidas, e Melitaea oriundus, Eurylochus, Magnes, Socrates, Boeotius, et Cnopias, Alorita, qui, duobus prioribus exceptis, Antigono et Demetrio Poliorcete ducibus stipendia meruerant, exercitum ratione rei militari magis conveniente, per gentes quidem sed etiam per aetatem, cuivis agmini (συςηματι) armis cum aetate et cum genere militiae, cui vacabant, congruis datis, descripserunt. Regem, ad bellum proficis-

9) Appian. praef. in Rom. Hist. p. 8. cfr. Theocrit. Idyll. 17, 93. 94.
10) in Daniel. T. 3. p. 1122.
11) Athen. D. 5. p. 203.
12) Ioseph. A. Iud. 13, 12. §. 3.
13) Polyb. 5, 79.

centem tria millia peditum, ἄγημα, quod illi instituerunt, et septingenti equites, οἱ περι την αὐλὴν, custodes comitati, reliquis militibus cives, qui moribus et linguis eorum periti eos cohortando alacriores ad pugnandum facere possent, praefecti sunt, et eadem solertia, ut non singula solum agmina sed plura etiam una eodem in campo rem militarem exercerent, illi constituerunt.[14]) Pedes, quod inter barbaros raro aut plane nunquam obtinet, pars exercitus validissima habitus, atque usus curruum falcatorum, quorum Philadelphum duo millia adornasse constat,[15]) apud Aegyptios paullatim abolitus profectum quoque quendam in re militari redolet. Currus, summam et loci et temporis opportunitatem poscentes, armatura valde incommoda et sumtuosa fuerunt. Seleucidae, proelia elephantis potissimum dirimi posse, confisi, Indis viros saepe summo loco natos et experientissimos praeficientes,[16]) cum Ptolemaeis, bellum gerentibus cum Asiaticis, pessime agi, magno cum commodo suo senserunt. Elephanti enim africani, indicis et robore et fortitudine cedentes, ne barritum quidem et odorem eorum tolerare solent, et Aegyptiis, huic rei eo mederi conantibus, ut homines, cum indicis pugnam conserere iuberent, ob equos, vel odore elephantorum percepto, metu et terrore perculsos, ne ab hac quidem parte omnia tuta fuerunt. Cum, Indis vulneratis aut interfectis, plerumque acciderit, ut bestiae hostibus nullum amplius usum afferrent aut maximam eorum stragem ederent, illos potius pedites iaculis et telis, et qui turribus super

14) Polyb. 5, 63—65.
15) Hieron. l. c.
16) Polyb. 5, 82. et Diod. sic. 19, 80.

bestiis impositi erant, milites sarissis occidere conabantur, quam elephantos. Ipsi autem elephanti secum pugnantes ita dentibus se adgressi sunt, ut eos, uti boves cornua, alterum alteri implicantes, iisque summa vi nisi se loco detrudere et reiicere studerent, donec alter, sese flectens et recedens, alteri latus proboscide aut dentibus caedendum offerret.[17]) Primos elephantos Antipater in Europam transtulit, a. 320 a. C. n. primos Romani in proeliis, cum Pyrrho II commissis, viderunt; sed Europaeis, parum momenti ad dimicandum in iis esse censentibus, mox usu eorum abstinendum esse visum est. Exercitum Ptolemaeorum magna vis cacularum, equisonum (ἱπποκομων) atque impedimenta gestantium (σκευοφορων) secuta est.[18]) In Aegypto vel in provincia magnum numerum militum cogentes, frumenti atque alius generis commeatus promtuaria (σιταρχιας) reges procuraverunt.[19]) Aerarii quoque militaris, quo pecunia, quam quaestores (οἱ ὑπηρεται των ταγματων) militibus penderent, asservabatur, mentionem faciunt.[20])

§. 13.

Apparatus nautici, bellum spectantis, initium ac fundamentum Alexandrini Ptolemaeo Lagi debuerunt. Magno ei deinde incremento allato a Philadelpho, cui tamen commercium magis quam bellum navale iuvandum curae cordique erat, regnante Evergete I. et numero navium et existimatione summopere floruit, quamvis, quantum famosa ista Cleopatra classibus valuerit, legentes,

---

17) Polyb. 5, 84.
18) Diod. sic. 19, 80.
19) Polyb. 5, 63.
20) Ioseph. A. Iud. 12, 2. §. 3.

rem navalem a Ptolemaeis nunquam plane neglectam esse, intelligamus. Inter initia regni Ptolemaeorum Antigono et Demetrio Poliorcete tanta industria naves construentibus, ut octo millia hominum materiem in Libano caederent et serra discinderent, mille iumenta Tripolin, Byblum et Sidonem eam deveherent ad navalia, ac Tauro ligna suppeditante, in Cilicia quoque naves compingerentur atque in Rhodo,[21]) Ptolemaeus Lagi, classe phoenicia potitus, quae centum navium fuisse videtur,[22]) dominium maris, iamiam periclitans, firmare coactus est. In proelio ad Salaminem commisso, dum sexaginta naves duce Menelao in portu huius urbis in statione erant, centum quadraginta navibus, quarum maxima quinqueremis, minima quadriremis fuisse dicitur, cum Demetrio, licet iniquo Marte, pugnavit.[23]) Numerosiori classe Philadelphus gavisus est: centum duodecim navibus a triginta ordinibus usque ad quinque, ducentis viginti quatuor a quadiremibus usque ad hemiolia, et quae „in insulas et in alias, quibus imperabat, civitates et in Africam mittebantur" super quatuor millibus navium.[24]) Forsan earum in numero naves quoque mercatorias fuisse quis dixerit, sed quo minus rem ita se habuisse censeamus, aliorum obstat scriptorum auctoritas, Appiani, testantis, regi mille quingentas naves longas quinqueremes et minores, duo millia navigiorum non ita magnorum et remis actorum, ac praeterea armamenta, quae tribus millibus navium longarum adornandarum sufficerent (σκευη τριηρετικα)

---

21) Diod. sic. 19, 58.
22) Id. ibid.
23) Id. 20, 49.
24) Athen. D. 5. p. 203.

fuisse; quibus octingentae naves cubiculatae (θαλημηγοι), quas, inauratis puppibus et rostris ornatas, reges ipsi, ad bellum proficiscentes, ascendere soliti sunt, accesserunt.[25]) Nec Hieronymus, classem aegyptiam mille quingentis navibus longis ac mille vectoriis constitisse, referens, dissentit.[26]) Philadelphus, ut fines aegyptios et asiaticos atque insulas ab incursionibus hostium et res Alexandrinorum commercio florentissimas a piratis tueretur, non potuit non magnam parare classem, quod poetam etiam cecinisse invenimus:

— — — ἐπει οἱ ναες ἀριϛαι
Ποντον ἐπιπλωοντι· θαλασσα δε πασα και αἰα
Και ποταμοι κελαδοντες ἀνασσονται Πτολεμαιῳ.[27])

Classis Evergetis I. cuius monumentum adulitanum identidem mentionem facit,[28]) quae quantaque fuerit, non satis liquet; regem autem et in mari mediterraneo contra Syros et in mari rubro contra Arabes magna vi navium usum esse, ex illo monumento colligitur, ac ratio ingenii et regni eius ipsa evincit: nam non tueri solum sed etiam proferre terminos studuit. Haud dubie igitur tunc temporis Aegyptii re nautica plurimum valuerunt. Fato Evergete functo, cum regum serioris aevi nemo eum virtutibus bellicis aequipararet, ac Cypro et asiaticis provinciis Ptolemaei, regno pulsi, aut reges Syrii in aliquod aut in omne tempus potirentur, illa decrescere coepit. Tamen temporibus etiam bellorum civilium romanorum tantam classem Aegyptus parare potuit, ut Cleopatra Antonio, bellum actiacum gesturo,

25) Appian. praef. in Hist. Rom. p. 8.
26) in Daniel. T. III. p. 1122.
27) Theocrit. Idyll. 17, 90—93.
28) p. 605 et 607.

ducentas naves, quarum sexaginta longae erant, mitteret.[29]) Ptolemaeis autem naves constructuris materies non suppetiit. Sycomori quidem, ficis dulcibus Aegyptios alentis, lignum non putrescit et a carie immune est, sed cum Ptolemaeos ad naves aedificandas arboribus Tauri et cedris Libani plerumque usos esse referatur, numerum illarum arborum non suffecisse apparet. Quae Plinium de sycomoro exposuisse invenimus: „arbor moro similis folio, magnitudine, aspectu. — — Materies proprii generis inter utilissimas. — — Caudex arboris similis populo, folium ulmo" [30]) paene eadem apud Nordenum, addentem, arborem nunc apud Arabes Giomez vocari[31]) et apud Sieberum[32]) leguntur. Cur Ptolemaei igitur Coelesyriam et caeteras provincias in litore maris mediterranei orientali sitas expugnare et tueri conarentur, deficiens materies in causis fuit. Architecti contra, qui naves mira magnitudine et structura insignes compingerent, iis non defuere. Illi tamen magis architecturae nauticae periculum facere, quantum valeret, et fastum aulae luxuriantis iuvare, quam quod usu militari ubique probaretur, parare conati, maiora et audaciora animo concipere quam manu praestare potuerunt. Nam artis eximias moles construendi et loco tuto, quo elementa non reluctabantur, magna cum dexteritate movendi non ignari, naves insanae illius magnitudinis ita nesciverunt aedificare, ut mari aperto vel in proeliis navalibus nautae facile eas movere et secure regere possent. Ars igitur naves guber-

29) **Plutarch. Anton. p. 941. 944. 946.**
30) **H. 11. 13, 14.**
31) **Reise durch Aegypten und Nubien. p. 117 et 261.**
32) **Beschreibendes Verzeichniß etc. Wien, 1820.**

nandi non satis exculta est. Quae quidem omnia, quae qualiaque fuerint, in libro, quem de Alexandria scripsit, Callixenus, ab Athenaeo laudatus, optime docere videtur. De duabus maximis navibus Aegyptiorum, cura Philopatoris exstructis, exponit,[33]) navem priorem, ducentos et octoginta cubitos longam, triginta octo latam, ad summam proram quadraginta octo et ab aplustri usque ad mare quinquaginta tres cubitos altam, ita describens, ut architectos eodem modo, quo navem longam simplicem, et quae ad easdem leges, quibus navigium minus agi atque ad res bellicas adhiberi posset, tantae magnitudinis navem aedificare nequivisse, sed, modulo navis magnae e multis parvis compositae ante animum iis obversante, congeriem structurae valde complicitae et impeditae accumulasse, appareat. Duae enim navi prorae, totidem puppes fuerunt; quatuor gubernacula cubitorum triginta; septem rostro, quorum alterum gradatim altero longius; remi summorum transtrorum triginta octo cubitorum maximi, ob manubria plumbo repleta, quo intra navem graviores essent, tractatu faciles. Cum navigaturi essent, super quatuor millia remigum navi imposuerunt, bis mille, octingentos quinquaginta milites classiarios; caeteris ministeriis nautae functi sunt quadringenti. Initio de machina, e ligno, quod quinquaginta quinqueremibus aedificandis sufficeret, constructa, populo acclamante, immensa illa moles deducta est. Novo deinde Phoenicis cuiusdam invento usi sunt. Fossa eadem qua navis longitudine depressa et crepidinibus factis quinque cubitos altis, trabes ille transversas in

33) Athen D. 5. p. 203 seqq.

fossa posuit. Aqua postea maris immissa, navis in trabes deducta est, atque aqua machinis quibusdam adhibitis exhausta, ne carina putresceret, et ostiis fossae clausis, quotiescunque videbatur, ostia aperire et navem in mare deducere licuit. Navem cubiculatam, θαλαμηγον, trecentos pedes longam, triginta cubitos, ubi latissima, latam et a carina usque ad fastigium tabernaculi navi superstructi paene quadraginta cubitos altam, Philopator, ut opes ostentaret, addidit. Ut reliqua mittamus, duas navi proras et puppes, malum septuaginta cubitorum, velo bysso aegyptia contexto ornatoque fimbria purpurea, permulta coenacula et cubicula, tribus lateribus duplices porticus atque intus paene omnia e cedro et cypresso vel citro constructa, aut aurea vel inaurata fuisse, accipimus. Sed quamvis tali tantaque navi Ptolemaeus summopere gloriaretur, tamen, quantopere a pristina virtute ars degeneraverit, magis argumento est. Nam quod adsolet, cum artes deflorescant, materie magis quam forma laeti, illa potissimum pretiotissima, quid valerent ostentare conati sunt. In columnis nihil graecae elegantiae inventum est: capitulis columnarum rotundis ac rosae paullulum explicitae similibus ornamenta non graeca, qualia volutae, sed aegyptia, calices lotorum et palmarum fructus, fuerunt.

In inscriptione aegyptiaca prope Rosettam inventa[34]) permulta occurrunt, quae, magis expli-

34) Viros doctos, qui in ea interpretanda operam consumserunt, enumerat v. d. Schlichtegroll in additam. IV. operis, quod inscripsit: Ueber die bei Rosette in Aegypten gefundene dreifache Inschrift.

cata, antiquitates et historiam Aegyptiorum accuratius enarrandas valde iuvabunt. Eorum, quae lucem mihi desiderare videntur, non nisi pauca strictim attingam, caetera in opusculo expositurus, quod historiae Ptolemaeorum prodromum edere mihi propositum est.

Ad lin. 7. *ἱερογραμματεις.* Non repetam, quae Iablonskius in Pantheo Aegyptiorum de his scribis monuit;[35]) tamen viro merito summis laudibus celebrato Frid. de Schmidt hoc dare non possum, ut cum eo sentiam, omnia, quae ad hosce scribas pertineant, ita ab illo pertractata esse, ut inutile sit, de iis multis verbis disputare.[36]) Nam scribae a caeteris sacerdotibus quo differant, quo munere peculiari functi sint, Iablonskius non satis exposuit, atque alii etiam in hac quaestione licet abstrusior et spinosior sit, latius quam par est errant et vagantur. Ut primum de nomine moneam, hoc genus sacerdotum et nude *γραμματεις*[37]) et ornatius *ἱερογραμματεις*, quasi dicas sacrorum scribae, vocatum est. Quidquid id est, quod iis cum caeteris sacerdotibus commune fuit, tamen scientiam et munera scribarum praecipue ad libros hermeticos spectasse, apparet. Hermete enim magistro et capite utebantur, quippe qui ipsius Osiridis scriba et in omni re ab eo in consilium vocatus fuerat, qui literas invenerat et Deorum cultum atque omne genus sacrificiorum instituerat,[38]) cui Aegyptii

35) Proleg. p. 96 seqq.
36) Frid. de Schmidt de sacerdotib. et sacrificiis Aegyptiorum. p. 148.
37) Apulei. Metamorph. 11. p. 205. ed Lugd. Bat.
38) Diod. sic. 1, 16.

leges[39]) et complures, v. c. Sesostris,[40]) sacrorum scientiam debebant. Libri hermetici, numerum XLII. explentes,[41]) decretales fictitiae Aegyptiorum, inventum sacerdotum, quae pro ratione temporum ad res humanas et divinas pertinere videbantur, ad unum omnia continebant. In duas partes distribuebantur, quarum altera libris XXXVI philosophiae, altera libris VI medicinae praecepta tradita esse relatum legimus.[42]) Prioris generis libros II, hymnos Deorum et praecepta in omni vitae ratione regibus observanda continentes *οἱ ᾠδοι* memoriae mandare debuerunt, sive *ὑμνῳδοι* s. *παιανισαι*;[43]) IV. astrologicos horoscopi s. horologi.[44]) De sacrificiis, de precibus, pompis, diebus festis etc. X. libris agebatur, quos ediscere stolistarum (*ἱεροςολιςων*[45]) s. *ἱεροςολων*[46]) fuisse videtur; X alios libros, proprie dictos sacerdotales, ac de legibus, de Diis et universa sacerdotum disciplina conscriptos, prophetae memoria complecti debuerunt. Cum plures libros Clemens Alexandrinus, ne reliquos quidem satis distincte enumerans, silentio praetermiserit, ad Diodorum Siculum confugiendum est, VIII libros, quibus universae leges continebantur, commemorantem.[47]) Ne sic quidem ratio constat, nisi annalium, de quibus idem auctor mentionem facit,[48]) libros duos fuisse, atque

---

39) Ael. V. H. 14, 34.
40) Id. V. H. 12, 4.
41) Clem. Alex. strom. 6. p. 634. A. ed. Colon.
42) Id, ibid.
43) cfr. Porphyr. de abstin. 4, §. 9.
44) cfr. Porphyr. ibid. §. 8.
45) Id. l. c.
46) Plutarch. de Isid. et Osir. p. 352. B. ed. Trai. ad Rhen.
47) 1, 75.
cfr. Ael. V. H. 12, 4.
48) 1, 46.

atque ita numerum XXXVI librorum expletum esse censeas.

Sed alia sunt, quae quaerimus; quo maxime munere scribae functi sint, quatenus ratio eius a munere caeterorum sacerdotum diversa fuerit, eruere conamur. Ut verbo dicam, quid sententia mea ferat, scribae libros hermeticos asservare, eorum omnium, quae iis continebantur, cognitionem diligentissime sibi comparare et notatu digna addere debuerunt. Caeteri quidem sacerdotes libros ad munus suum spectantes edidicerunt, et qui XXXVI prioris generis memoria tenebant, philosophi dicti sunt, quo sub nomine etiam scribae latent;[49]) παςοφοροι, medicinam artem edocti, ab hoc honore exclusi sunt.[50]) Scribae contra, quae libri illi complectebantur, penitus cognoscebant, et ita quidem, ut in consilium vocati, aut cum res in dubio esset, quid praeceptum sit, exacte docere possent. Scripta quotidie manu terentes, ne quid contra ac mandatum erat, fieret, invigilarunt. Ubi omnis paene vita praeceptis religionis adstricta tenebatur, hasce partes agere haud dubie satis difficile erat. Rem ita se habuisse vel hoc suspicionem quandam movet, quod huic ordini sacerdotum saepius eadem munera, quae aliis, adtribuuntur, dum manifeste ab iis differt. A veteribus rectius nonnunquam refertur, quam ipsi se referre sentiunt, quod Clementi quoque Alexandrino accidit, a quo se in errorem induci vel Iablonskius passus est: nullos ille libros scribis proprios et peculiares vindicat, et recte quidem, cum, quod hoc loco monere

---

49) Porphyr. l. c.
50) Clem. Alex. l. c.

debuisset, universos diligenti cura tractare officium iis esset; non nisi nonnulla eorum, quae iis accuratius cognoscenda erant, commemorat: hieroglyphica, cosmographiam, geographiam, ordinem solis et lunae, planetas quinque, chorographiam Aegypti, Nili descriptionem, vasa et mensuras templorum etc.[1]) haec autem non decem libris a scribis ediscendis et a Iablonskio mere fictis,[2]) sed universis libris hermeticis continebantur. Nobiscum Lucianus quoque, Pancratem, virum quendam Memphiten, scribam, mira ornatum sapientia et universa Aegyptiorum doctrina instructum dicens, facere videtur.[3]) Nec a sententia nostra absonum, idem quod alio loco[4]) non solum, quia eodem modo longaevi essent sed et ob eandem doctrinam scribas interpretibus mythicorum Assyriorum et Arabum, Indorum Brachmanibus „diligenter philosophiae vacantibus" et Magis adnumerat. Scribas igitur, quos in reverendissimorum et doctissimorum numerum referat, solos dignos Lucianum habuisse, apparet. Ob Pancratem illum, a Luciano[5]) νοημονα dictum omnes scribas prae caeteris sacerdotibus νοημονας nuncupatos esse, forsan quis dicat, qui in meas partes transeat, at universis, quas ab Hermete edocti fuerant, doctrinis nomen νοηματα impositum esse videtur.[6]) A Sapientibus autem aegyptiis septem Graecorum nomen traxisse, quo minus cum Iablonskio statuamus,[7]) Plutarchus impedit.[8]) Om-

1) Clem. Alex. I. c. p. 633. c.
2) Panth. aegypt. Prolegom. p. 97.
3) Philopseud. §. 34.
4) Macrobii §. 4.
5) Philopseudes l. c.
6) Ael. V. H. 12, 4.
7) l. c. p. 92.
8) vit. Themist. c. 2.

nium igitur sacerdotum aegyptiorum scribas doctissimos, et cognitiones, quibus gaudere debebant, sibi comparare, magni negotii fuisse, ita ut Pancrates ille discendi causa tres et viginti annos in adytis subterraneis latuisse dicatur,[9]) inter omnes convenit. Cum pro doctrinae Aegyptiorum ratione scribae insignis sapientiae famam non nisi exactiori curae debere possent, qua librorum hermeticorum praecepta discebant et perpendebant, procul dubio esse videtur, quod supra monui, omnium librorum lectioni iis vacandum fuisse, ut in omni re, quid maxime Hermes, praeceperit docere possent. Verbo quidem veteres rem nobis expeditam tradere potuissent; quod cum omiserint, quia magna ex parte eorum iam temporibus obsoleta erat, benevoli in tenebris e longinquo lucem petentem argutiarum non damnabunt. Quotquot sacerdotum ordines (ταξεις) in Aegypto fuerunt, solis scribis datum est, ut filo purpureo et accipitris pennis caput ornarent:[10]) accipiter, ita rem a veteribus explicatam esse invenio, antiquissimis temporibus librum filo purpureo ligatum, quo omnis cultus divini ratio exposita erat, sacerdotibus thebanis attulit. Cur igitur non horoscopi, stolistae, prophetae etc. hoc ornamento usi sunt, nisi quod illi certa quaedam, scribae contra universa haec scripta diligentissime legere debebant? Hermetis praecepta primitus columnis insculpta fuisse, Manetho, Achilles Tatius, alii referunt;[11]) antiquissimis autem temporibus in monumentis publicis Aegyptios characteribus hiero-

9) Lucian. Philops. §. 34.
10) Diod. sic. 1, 77.
Clem. Alex. strom 6. p. 633. C.
11) Adeas Iablonsk. Panth. P. III. p. 175 seqq.

glyphicis usos esse, obelisci testantur et pyramides; quorum cum characterum scientia, ad scribarum sapientiam pertineret,[12]) omnia vitae publicae et privatae recte instituendae praecepta, quae a Diis proficisci sacerdotes fingebant, scribis concredita fuisse, verisimile est. Eadem deinde, scilicet si sacerdotibus antiquitate librorum auctoritatem suam firmare conantibus fidem habemus, aut alia omnia quae iis e re sua esse videbantur, literis mandarunt ἱερατικαῖς, „quibus scribae utuntur": si quid igitur unquam coniectura colligere licet, scribis, quamvis, quo iure a sacrarum literarum peritia nomen traxisse dicantur,[14]) parum liqueat, praeceptorum hermeticorum asservandarum et tradendorum curam fuisse, recte colligitur. In pompa isiaca ab Apuleio adumbrata,[15]) cum ad templum perventum esset, in coetu Pastaphorûm scriba „de sublimi suggestu, de libro, de literis fausta vota praefatus est." Cum igitur e sacris libris aliquid recitandum esset, ad huius generis sacerdotum munus revocabatur, quod quidem, frequentem vel adsiduum, horum librorum usum iis fuisse, novo argumento est. Quo accedit, ut cum regum omnis vitae ratio ad praecepta Hermetis i. e. sacerdotum conformanda esset, partes, iis e sacris libris praelegendi, quae consilio vel exemplo mores eorum fingerent, scribis datas esse inveniamus.[16]) Cum igitur tutores quasi et magistri regum constituti essent, quid? nonne filios sacerdotum quoque, qui XX annos egressi, re-

12) Clem. Alex. l. c.
13) Id. strom. 5. p. 555. D.
14) Iul. Firmic. Methes. 3. c. 8.
15) Metamorph. 11. p. 205.
16) Diod. sic. 1, 70.

gem, ne quid contra praecepta Hermetis admitteret, ubique circumdabant,[17]) a scribis ad omne officii sui munus institutos esse, censebimus? Qua ratione confusioni munerum et ornamentorum, quae et scribis et caeteris sacerdotibus attribuuntur, mederi possimus, si quaeritur, cum v. c. et horoscopos et scribas astrologica calluisse referatur, scribis θεωριαν, caeteris πραξιν, sit venia verbis, fuisse, illos praecepta ac mandata Hermetis ad unum omnia cognovisse, hosce ea, quae ad provinciam suam pertinerent, exsecutos esse, contendo.

Sed quod reliquum est veri nominis quoque scribarum munere illi functi sunt. Clemens Alexandrinus: „deinceps, inquit, scriba procedit, pennas gestans in capite et librum manibus tenens ac regulam, in qua atramentum est et iuncus, quo scribunt."[18]) In monumentis aegyptiis figurae volumen apertum gestantes saepissime occurrunt, cum in aliis tum muris porticus templi sive palatii cuiusdam prope Thebas, ubi nunc castellum Medinet Abou exstructum est; Denoni triumphus hic regis aegyptii opere caelato expressus esse videtur.[19]) Sacerdotum doctrina et industria cum omnem Aegyptiorum vitam amplecteretur, eventa et res gestas, quae ad reges, sacerdotes, templa et in universum ad populum aegyptium pertinebant, atque ad res publicas et privatas constituendas aliquid momenti habere videbantur, scribae literis consignarunt. In sacris libris v. c. relatum est, XLVII olim sepulcra regum thebano-

---

17) Id. l. c. init.
18) Strom 6. p. 633. C.
19) Voyage dans la basse et la haute Egypte. tab. 134.

norum fuisse, quorum temporibus Ptolemaei Lagi XVII tantum inveniebantur.[20]) Cum victo Nectanebo II post tertiam seditionem a. 350 a. Chr. n. Aegyptus denuo in ditionem Persarum redacta esset, Artaxerxes III, Ochus, commentarios sacerdotum ex templis secum in Persiam asportavit, quos sacerdotes ab eunucho Bagoa, qui Artaxerxem a. 338 veneno interfecerat, magna vi pecuniae redemerunt.[21]) Pristinam autem dignitatem, superstitionem, qua sacerdotum viget auctoritas, redimere iis non licuit. Adsidue Aegyptiorum quidem ingenium torpuit, at Macedones; advenae, sacerdotum praestigias nihil curae habuerunt, sed, rebus suis labefactis, illi, ut recentiori aevo papae eorumque satellites, vanis artibus, quas nostra quoque redolet inscriptio, conditionem maiorum recuperare frustra conati sunt. Eos non tam Epiphanem laudibus ornare, quam rebus tenebras temporis praeterlapsi obducere voluisse, ut haberent, quo vitam sustentare possent, alio loco exponam.

Ad l. 22. Lycopolitarum seditio oppressa.

Ante inscriptionem prope Rosettam inventam nemo de hac seditione mentionem fecit. Nam quos auctoritate nisi Polybii[22]) recentioris aevi scriptores enarrant,[23]) motus Lycopolitarum, in annum 183 a. Chr. n. incidunt, cum Ptolemaeum Epiphanem annum XXV aetatis hoc tempore egisse, Polybius referat. Anno V ante patris Ptolemaei Philopatoris mortem, a. 204 a Chr. n. fato de-

20) Diod. sic. 1, 46.
21) Id 16, 51.
22) 23, 16 ed Schweigh.
23) Vaillant. Hist Ptolem. p. 83.
Rollin. Hist. anc. Vol. 8. l. 18. p. 427 seqq.

defuncti, natus est;[24]) inscriptionem autem, qua seditio Lycopoli iam exstincta commemoratur, sacerdotes, cum Memphi anacleteria celebrarentur, a. 195 a. Chr. n. Epiphani decreverunt.[25]) Bis igitur Lycopolin ab Epiphane descivisse eoque bellum exarsisse intestinum apparet, atque eandem quidem urbem et in inscriptione et a Polybio dici, non celebriorem in Aegypto superiore[26]) sed alteram quandam in Delta sitam: nam in inscriptione in numerum urbium nomi Busiritis adscribitur,[27]) et apud Polybium Sain et Naucratin loca vicina fuisse, facile intelligitur. Quid in causis fuerit prioris seditionis sacerdotes, male seduli regem adulari, non referunt. Sed tamen ad rem investigandam e verbis: — τοὺς ἐν τοῖς αὐτοῖς τόποις ἀποςάντας πρότερον,[28]) aliquod praesidium petere licet. Patris spectant tempora Philopatoris. Quo regnante qui tumultus in Aegypto moti sint, Polybius se ordine enarraturum esse profitetur,[29]) sed pars operis, qua promissis satisfecit, non superstes est. Nos tamen, quae omnia alia agens obiter protulit, cum, de quo nunc agitur, locum inscriptionis illustrent, ne aspernemur. Bellum gesturus cum Antiocho M. Aegyptios quoque, qui deinde victoria ad Raphiam ex hostibus reportata superbientes ac se sibi sufficere

24) Iustin 30, 2.
Hieronym. in Daniel. p. 1124. ed. Paris.
Ioseph. A. Iud. 12, 4. §. 7.
25) Inscript. l. 4.
Polyb. 18, 38.
26) Strabo 17. p. 813.
Plin. H. N 5, 9
Plutarch. de Isid. et Osir. p. 380. B.
27) l. 22.
28) l. 26. 27.
29) 3, 2. cfr. 14, 12.

sibi persuasum habentes, novis rebus studuerunt, Philopator armavit.[30]) Macedones cum suae ipsorum salutis causa semper in fide bona Ptolemaeorum essent, non nisi Aegyptii indigenae hic notari possunt, et ob illud: ἐν τοις ἀυτοις τοποις, Lycopolitae. Bellum ab utraque parte summa cum crudelitate gestum a Philopatore confectum esse, apud Polybium non legitur; seditiosi ne obsidione quidem cincti sunt.[31]) Lycopolin igitur expugnatam ac seditionem extinctam esse, perhibere non licet. Epiphani contra, bellum redintegranti, quod inscriptio monet, res ita successerunt, ut Lycopolitae rursus sub ditionem eius subiungerentur. Laudibus autem Epiphanem, hoc tempore puerum, qui ne postea quidem, rebellantibus Lycopolitis, in castris aderat,[32]) plane immeritis sacerdotes affecerunt.

---

30) Polyb. 5, 107.
31) Id. 14, 12.
32) Id. 23, 16.

THESES.

I. Regna quaedam antiquorum populorum certis conditionibus, aut a populis aut ab ipsis regibus constitutis, administrata sunt.

II. Erroribus populorum medii aevi longe plurima inventa eorum debentur.

III. Dominatio civilis pontifices romanos ad pessima facinora incitavit, atque auctoritatem et dignitatem eorum valde imminuit.

IV. E collegio episcoporum cardinalium et ipsis pontificibus romanis et civitati pontificiae romanae et ecclesiae catholicae plurima mala orta sunt.

V. Imperator Maximilianus I. a G. Roscoe in vita Leonis X. (3. p. 169) falsissime imbecillis, semper inter diversa consilia fluctuans, ostentatione plenus, vanae gloriae studiosus, ob hebes et tardum ingenium pravorum consiliorum praeda et imperii germanici dedecus dicitur.

VI. Magnae animi facultates eorum, qui summa potestate in civitatibus gaudent, magis a pravis facinoribus et a malis publicis defendunt, quam bonitas animi.

ERRATA OPERARUM.

P. 1. 8. l. serioris. P. 4. 7. l. praesidia. 19. l. σχημα. 23. l. parallelogrammo. 25. l. paralleli. P. 5. 1. l. XL. P. 6. 12. l. ut Ptolemaei. 18. ministerio. P. 7. 25. l. φυλακας. 29. l. Homeromastigi. P. 8. 20. l. etiam. 22. l. sortiretur. P. 9. 18. l. exhilarare. P. 10. 1. l. τερασκοπους. P. 11. 11. l. parricidia. 14. l. pauca. P. 13. 12. l. posse. 18. l. commate. P. 14. 16. l. detrectarunt. P. 15. 1. l. procerum 14. l. prava. P. 16. 4. l. regnum. 6. l. ut. P. 18. 6. l. Ptolemaei IV. P. 22. 16. l. πολιτικα. P. 26. 14. l. magistratus. P. 27. 23. l. ab aliis. P. 30. 20. l. apud. P. 45. 19. l. rostra. P. 48. 1. l. complures reges.
